E. 75. E. 393.

E. BIBL. RADCL.

19291 f 2/1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS BOTANICA

OMNES

FAMILIAS, GENERA ET SPECIES

PLANTARUM ILLUSTRANS.

PARS I.

CONTINENS FAMILIAE ROSACEARUM, GENERIS ROSAE SERIES V PRIMARIAS.

VINDOBONAE, 1823.

APUD J. G. HEUBNER.

Digitized by Google

ROSACEARUM

MONOGRAPHIA.

AUCTORE

LEOPOLDO TRATTINNICK,

MUSAEI CAES. REG. BOTAN. VINDOB. CUSTODE, MAGNAT. AUSTR. INFER. PHYTOGRAPHO, SOC. CAES. REG. AGRICULT. PLURIUMQUE ALIARUM SOCIETATUM LITER. SODALI ETC.

VOLUMEN I.

VINDOBONAE, 1823.

APUD J. G. HEUBNER.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Anmerkung.

Zur Vermeidung aller Mißgriffe folgt hier die genaue Bezeichnung der in diesem Bande vorkommenden Signaturen.

Titel und Vorrede mit *. ** (p. I—XXII) bezeichnet, betragen 2 Bogen sammt Anzeigen und Schmutztitel zu den Prolegomenen.

Prolegomena. Diese bestehen aus 5½ Bogen, mit P. I. (1)—(6) p. 1—86 bezeichnet, und Schmutztitel zu den Rosaceen.

Rosaceae. Diese bestehen in diesem Bande aus 17 Bogen, mit folgenden Signaturen: 1 bis 136 im linken Ecke jedes Blattes ist die fortlaufende Nummer der Blätter; S. I. 1—17 in der Mitte jedes Blattes, wovon S. Synodus; I. Tomus 1us; und die arabischen Zahlen 1—17 den Bogen bezeichnen, zu welchen jedes Blatt gehört; so daß auch in dem Falle, wenn das Werk in Blätter zerschnitten, gebraucht worden wäre, und man wünschte es wieder in Bände zu ordnen, dieß vermittels dieser Bezeichnung leicht möglich wird.

Diese Signaturen werden durch das ganze Werk beybehalten, und sonach wird bey den folgenden Bänden nur nöthig seyn die Bogenzahl anzugeben.

J. G. Heubner.

Digitized by Google

Anzeige

für

das botanische Publicum.

Die ausführliche Anzeige vom 13. Juny 1822, welche das botanische Publicum zur Subscription auf die Synodus botanica etc. einlud, und wovon mehrere 1000 Exemplare verbreitet wurden, wird ohne Zweifel den meisten Botanikern bekannt geworden seyn. Eben so darf ich voraussetzen, dass meine spätere Anzeige vom 3. Jänner 1823, die in den meisten öffentlichen Blättern abgedruckt war, nicht unbeachtet geblieben ist; worin ich erklärte, dass, aus Mangel an einer zur Deckung eines so umfassenden Werkes, nöthigen Zahl von Subscribenten, es nicht zu wagen sey, das Unternehmen in seiner ganzen Ausdehnung und unter den ursprünglich festgesetzten Bedingungen zu beginnen, sondern, dass ich auf die Subscription verzichte, und mit dem geschätzten Herrn Herausgeber übereingekommen sey, die Monographien einzeln, aber in derselben Verfassung wie sie in der Synodus botanica hätten erscheinen sollen, zu liefern.

Indem ich nun dem botanischen Publicum den ersten Theil der Rosaceen übergebe, halte ich mich doch für verpflichtet, denjenigen Freunden der Pflanzenkunde, welche auf den Synodus botanica wirklich subscribirten, so wie auch allen, die bis Ende dieses Jahres das Werk abnehmen, jene Vortheile zu gewähren, die mir die jetzigen Verhältnisse möglich machen.

Digitized by Google

Ich biethe daher die Monographie der Rosaceen, welche aus vier Bänden und circa 96 — 100 Bogen bestehen wird, um den Preis von 7 fl. 30 kr. C. M. im 20 fl. Fuss, gleich 5 Rthl. Sächs. oder 9 fl. Rhein. an, welcher Betrag jedoch gleich bey Abnahme des ersten Bandes erlegt werden muss. Einzeln werden keine Bände davon abgelassen, und dieser Vortheil des wohlfeilern Preises hört bestimmt mit Ende dieses Jahres, wo alle vier Bände geliefert seyn werden, auf.

Vom 1. Jänner 1824 angefangen, tritt unabänderlich der Preis von 10 fl. C. M. im 20 fl. Fuss, gleich 6 Rthl. 16 gr. Sächs. oder 12 fl. ein.

Von der Aufnahme welche diese Monographie im Publicum findet, wird es abhängen, ob und in welchen Zwischenräumen die übrigen Monographien geliefert werden können, und obwohl kein Abnehmer der gegenwärtigen Monographie verbindlich gemacht wird, auch die folgenden zu nehmen, so werde ich doch stets den beständigen Abnehmern, die Vortheile des hier neu bestimmten Subscriptionspreises gewähren. Aus diesem Grunde wäre es mir angenehm, bis zur Erscheinung des dritten Bandes die Nahmen aller resp. Pränumeranten auf die Rosaceen zu erhalten, die ich dem vierten Bande vorzudrucken wünschte.

Wien den 31. May 1823.

J. G. HEUBNER.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Totius anni spatium transiit ab illo tempore, quo haec nostra Rosarum commentatio finita fuerat. Ecquidem bibliopolae placuit, delapso subscriptionis termino, et numero subscriptorum illi non satisfaciente, vincula conditionum oblatorum dissolvere, et, quo tutius susceptionis sumptus repararet, ab initio saltem, nil nisi monographias singulas edere, ita tamen, ut sub duplici titulo Totum perfici posset et continuari. Monographia nempe Rosacearum separatim edita, emptorum copia editionis normam dabit pro reliquis monographiis, proxime subsecuturis, quae modo ut opera singula et simul ut continuationes Synodi botanicae considerari debebunt.

Digitized by Google

Interea non modo plures Rosarum species observavi in hortis et in libera natura, sed etiam plura opera obtinui, quae mihi nova lumina praestiterunt; veluti Curt. Sprengel Neue Entdeckungen Tom. III^tium^, Link Enumerat. horti Berol. Tom. II^dum^, Haynei berlinische Dendrologie; de Redoutei Rosis plures fasciculos usque ad 27^timum^, Lindleyi monographiam Rosarum, Andrewsii Roses fasc. 32 — 40^mum^, Florae Londinensis new Series fasc. 20 et 21^mum^, et plura alia. Non minus pro humanissimis communicationibus gratias referre debeo amicis et fautoribus meis, veluti Laurentio de Vest, amicissimo Juris Doctori Francisco de Portenschlag, nuperrime defuncto, Dominis Sauter, Neumayer aliisque, prae ceteris vero clarissimo viro, Car. Frid. Waitz, qui non modo plures novarum specierum diagnoses et descriptiones, sed et circa alias suas observationes benignissime communicavit. Profecto vituperandus fuissem, nisi ex his fontibus tantum hau-

Digitized by Google

sissem, quantum per hoc stadium haurire licuit. Plura itaque emendavi, plura addidi, observationes aliorum in locupletationem operis adhibui. Hac ratione tandem priori cumulo sequentes accesserunt species et subspecies seu varietates:

Rosa bifera pumila. R. verecunda Waitz. R. lepida Waitz. R. gallica stapeliaeflora. R. gall. Agatha. R. Waitziana. R. pumila meleagris. R. pum. incomparabilis. R. pum. praecox. R. pomponia sertacea. R. Ehrhartiana inermis. R. fastigiata Monsoniana. R. reclinata. Thy. R. cymosa T. (R. microcarpa Lindl.) R. viminea Lindl. R. Brownii T. (R. Brunonii Lindl.) R. canina grandiflora. R. fraxinellaefolia Andr. R. Borkhausenii argentea. R. Clusiana Waitz. R. abyssinica Brown. R. acicularis Lindl. R. coruscans Waitz. R. stricta Lindl. R. Solandri T. (R. blanda Lindl.) R. eglanteria subrubra. R. concavifolia. Waitz. R. macrophylla. Lindl. R. Woodsii Lindl. R. mutica Müll. R. fenestra-

Digitized by Google

ta. Donn. R. trichocarpa. Waitz. R. cucumerina T. R. hystrix Lindl. R. Lindleyana. T. (R. involucrata Lindl.) R. Lyellii. Lindl. R. Wallichii. T. (R. sericea Lindl.) R. microphylla Roxb. R. Wulfenii rubra. R. Portenschlagiana. T. R. recurva. Roxb. R. sibirica. T. (R. grandiflora Lindl.) R. muricata. Waitz. R. Roxbourgii T. R. Americana Waitz. R. glabrata. Vest. R. Ventenatiana. Thy.

Sic tandem numerus specierum a me susceptarum usque ad 240 increvit, praeter illas 6 Opizii, quarum diagnoses Epitome continet, completas vero descriptiones ab ipso auctore exspectare debemus in opere, quod usquedum obtinere mihi denegatum fuit. Plures alias forte suscepissem, si mihi concessum fuisset (quod frustra omnibus votis tentavi) 8vum annum de Bertuchii Garten-Magazin perspicere. Dicit enim cell. Waitz in epistola de die 6ta Februarii h. a. „Praeter species hoc loco fugaci manu consignatas in Bertuchii Gartenmagazin, ann. 8vo (1811.)

Digitized by Google

pag. 5. invenies sequentes novas a me descriptas Rosarum species, scil. R. gracilem Wz. quae prioritatis jus prae illa Woodsii obtinebit; R. amoenam Wz.; R. floribundam Wz. quae pariter nominis jure illam Bieberstеinii et Stevenii anteveniet; R. sessiliflo-ram Wz. (R. Portlandicam Andr.); R. dolo-sam Wendl. (s. R. suavem Willd.) R. ameri-canam Wz. R. Blandfordii Wz. et R. ochro-leucam. Wz."

Novam seriem (Lindleyanam) introduc-cere debui, cum R. Wallichii nulli priorum commode subordinari poterat. R. microphyl-la autem, utut imperfecte descripta, a Lind-leyo priori proxima dicitur. Sunt itaque nunc 24 Rosarum series, scilicet: 1.) Ser. Jacqui-niana; 2.) S. Lawranciana; 3.) S. Du Pontia-na; 4.) S. Smithiana; 5.) S. Biebersteiniana; 6.) S. Rauiana; 7.) S. Rössigiana; 8.) S. Can-dolleana; 9.) S. Neesiana; 10.) S. Willde-nowiana; 11.) S. Redouteana; 12.) S. De-veauxiana; 13.) S. Kitaibeliana; 14.) S. Hop-

Digitized by Google

peana; 15.) S. Woodsiana; 16.) S. Sprengeliana; 17.) S. Linkiana; 18.) S. Andrewsiana; 19) S. Purshiana; 20) S. Wendlandiana; 21.) S. Lindleyana; 22.) S. Thoryana; 23.) S. Aitoniana; 24.) S. Pallasiana. Has sequitur cumulus specierum incertae sedis.

Synonimia adaucta fuit et accuratius expurgata. Saepe in recentibus operibus opinionem meam confirmatam inveni, pluresque species melius illustratas, quae prius incertis ac problematicis adscitae fuerant. Auctoritas summorum virorum me saepius claro lumine antecessit: coecus vero nunquam illam secutus sum. Sic e. gr. in coadunandis speciebus cum R. centifolia, gallica, tomentosa, rubiginosa, canina, spinosissima &c. Lindleyum non imitatus fui. Etenim, si hoc fecissem, absque inconsequentiae vitio non potuissem ipsius Rosas Lyellii, Woodsii, macrophyllam, acicularem, vimineam, Brunonii (R. Brownii nob.), recurvam, hystricem, alias-

Digitized by Google

que plures suscipere; et profecto R. rapa, davurica, majalis, myriacantha, involuta, reversa, marginata, Sabini, glutinosa, semperflorens, Lawranceana &c. quas Lindleyus agnovit, non melius differunt, quam illae, quibus jus specificum denegavit, veluti R. pyrenaica, bifera, muscosa, Pomponia, pumila, et sim.

Sine dubio plures adhuc species addere potuissem, si diutius exspectare licuisset, donec tandem speciosissimum Redoutei opus ad finem pertigisset, vel donec illustriss. L. B. a Humboldt in suis Novis Generibus et Speciebus familiam Rosacearum absolvisset: sed sic in dies novae succedunt elucubrationes, quas si omnes exspectare vellemus, nunquam ad editionem operis ipsius perveniremus. Quae ergo serius advenient, has L. b. in supplementis suscipiat plantarum species. Sunt utique jam nunc sat multae Rosarum species nomine indicatae, quarum ipsa diagnosis usquedum desideratur. Sic praeter

Digitized by Google

illas, quas ipse in Epitome conscripsi, plures aliae nominantur, et cell. Link in 2da editione Enumerationis plantarum hort. reg. Berol. parte II. p. 60. dicit: „Habemus et alias Rosae species a cell. Bessero acceptas, quae vero nondum floruere. R dimorpha (v. Ser. 5.), uncinella (v. Ser. 6.), caryophyllacea (v. Ser. 8.), frutetorum, terebinthinacea (v. Ser. 8.) Czarkiana, Kosciuszkiana, Fischeriana, Gorenkensis; R. Jundzilli Marsch. (v. Ser. 8.), setosa. Dein cell. Waitzii R. acantha, ambigua, concavifolia, echinata, amoena."

Cell. Lindley sequentes species nomine tantum notas consignat:

R. macrocarpa. Maur. cat. 15.
R. mutabilis. Maur cat. 15.
R. lutetiana. Leman in Journ. phys. vol. 87.
R. urbica. ibid.
R. rustica. ibid.
R. tomentella. ibid.
R. pubescens. ibid.
R. hystrix. ibid.

Digitized by Google

R. nemoralis. ibid.
R. subvillosa. ibid.
R. cymbifolia. ibid. (Forte R. alba cymbaefolia?)
R. foliosa. ibid.
R. ambigua. ibid.
R. Poterium. ibid.
R. Celsii. ibid.
R. eriocarpa ibid.
R. parvifolia. ibid.
R. Ancistrum. ibid.
R. neglecta. ibid.
R. balsamica. Willd. (v. Spec. min. cogn.)
R. apiifolia. ibid. (v. R. centifolia bipinnata.)
R. corallina. ibid. (forte R. damascena coccinea?)
R. millesia. Linn. Amoen. acad. IV. 484.

Idem clariss. auctor, praeter has, plures alias indigitat Rosarum species dubias, quarum tamen plures jam ipse in hoc opere illustravi. Tales nimirum habet 23. Harum

Digitized by Google

autem ben. Lect. in nostra commentatione jam 16, quantum fieri poterat, illustratas inveniet. Remanent ergo non plures, quam 7, de quibus hoc loco referenda sunt, quae Lindleyus circa illas ex sua industria tradidit.

Species Rosarum a Lindleyo praeter insertas, indicatae, ulterius et accuratius observandae:

Nr. 77. R. pseud-indica. Habitus R. Indicae: aculei fere aequales. Stipulae villosae. Pedunculi ebracteati, cooperti aculeis brevibus, parvis. Urceolus et sepalae pilosae. Flores duplices, saturate lutei. Folia tenuius serrata et magis coriacea quam illa R. indicae. Hab. in China. Lindleyus iconem vidit in bibliotheca Lambertiana.

Nr. 78. R. xanthina. Rosa penitus R. spinosissimae (pimpinellifoliae) simillima, praeter defectum plenarium setarum, et quod flores pleni niteant colore R. sulphureae. Hab. in China. Picta prostat in bibliotheca Lam-

Digitized by Google

bertiana. (An forte varietas R. Nankinensis?)

Nr. 80. R. hispanica. Mill. dict. n. 7. R. foliis utrinque villosis; calycis foliolis acute serratis, fructu glabro. Mill. Hab. in Hispania. Caulis quadripedalis. Aculei validi. Flores saturate rubri, Majo apparentes. Mill. (Videtur ad familiam R. villosae pertinere. T.)

Nr. 88. R. triphylla. Roxb. fl. Ind. ined. Scandens, aculeata. Folia ternata, foliola lanceolata. In hortum Calcuttensem adlata e China. Mirifice luxurioseque circumvagat: a Chinensibus vocatur Tshate-boy-fa. Icon Roxbourgio missa e patria. Forte est R. cymosa (microcarpa Lindl.) Sic judicat Lindleyus. Nos non contradicimus. Saltem hujus familiae speciem esse minime dubitamus.

Nr. 89. R. cinnamomea Lour. Coch. 523. Hoa Kóê Cochinchinens. Mûi hōa Sinens. Hab. ubique culta in Cochinchina et China.

Digitized by Google

Caulis fruticosus, virgatus, 3-pedalis, ramosus, aculeatus; petioli aculeati; flores solitarii, saturate rubri. Urceolus globosus, pedunculi inermes; odor debilis.

Nr. 90. R. spinosissima. Lour. Coch. 323. Hoa hoùng taù Cochinchinens. Hab. ubique in Cochinchina. Caulis fruticosus 6pedalis, subscandens, valde aculeatus. Flores rosei, odorati. Urceolus globosus parvus. Petioli pedunculique aculeati. Forte R. sinica? Loureiro. Ex descriptione allegata evidenter patet, hanc plantam non posse ad speciem nominatam referri; neque ad aliam speciem Chinensem nobis cognitam eandem referre possumus. Lindley. Nos suspicamur affinitatem cum R. nivea. T.

Nr. 94. R. velutina. Clairv. man. d'herbor. 163. Fructus globosus; folia subtus tomentosa, margine glandulosa. Hab. in Helvetia circa Bruel, Winterthur. Fortasse R. myriacantha. D.C. Clairv. Sed hoc non potest esse, quod R. myriacantha habet folia

Digitized by Google

utrinque glabra. Lindley. Certo certius pertinet ad seriem R. villosae. T.

Idem clarissimus auctor finito operi subjungit consignationem varietatum, quae in hortis coluntur, et putat, has omnes referri debere ad R. gallicam, parvifoliam (Ehrhartianam nob.), centifoliam, damascenam, et albam. Revera in hortis et catalogis hortorum invenimus ingentem copiam nominum, quae saepe pro specificis venduntur, et tamen nihil aliud quam varietates dictarum specierum indicant. Interea plures harum varietatum tales sunt, ut magnates, hortorum patroni, illas ob elegantiam vel singularitatem conformationis ipsis speciebus praeferant. Has itaque accuratius discernere, et ad suas species referre oportet. In nullo alio plantarum genere subspecies et varietates tantas vices agunt quam in genere Rosarum. Utique totum genus adeo anomalum est, ut veri limites, quibus species a varietatibus separari debeant, vix ac ne vix quidem deter-

Digitized by Google

minari possint. Hac de causa, et ne ulla forma specificae aequivalens memoriae effugiat, necessarium ac bene consultum duxi, non modo majori liberalitate, quam in aliis generibus, Rosarum species stabilire et ab aliis stabilitas suscipere, sed et ipsas varietates et subspecies magis eminentes et ab hortorum fautoribus praecipue existimatas singulariter discernere, et notis criticis, vel historicis illustrare. Harum enim cognitio tanti momenti est, quam ipsa specierum. Non modo hortulani, sed et ipsi botanici has rite cognoscere debent, quia in hortis saepe pro speciebus habentur, et quod non raro difficile est, gravitatem discriminis primo intuitu ita dijudicare, ut dicere valeamus, num pro specifico sufficiat nec ne? Posset accidere, ut olim haec vel illa varietas a quodam auctore pro nova specie declararetur, et plures harum revera jam saepius pro talibus declaratae fuerunt. Communis autem circa species Rosarum consensus tantum abest ut jam nunc

Digitized by Google

legis sanctione publicetur, ut potius contradictionum turba omnem certitudinem subvertere minitetur. Qui enim in restringendis speciebus Rosarum maxime severi sunt, veluti Deveaux, Lindley, Thory, &c. nihilominus species admittunt, quae nullis votis illis Besseri, Tauschii vel Willdenowii praehaberi merentur. Et, si quis vellet operam impendere in comparandos auctores, e. gr. Rauum, Biebersteinium, Aitonium, Linkium, Hayneum, Wallrothium, Sprengelium, ceterosque, horrore percussus intelligeret, vix quadraginta dari Rosarum species, quae unanimiter ac sine ulla sensus declinatione pro talibus susceptae fuerunt. Interea ipsae Rosa centifolia, moschata, Eglanteria, sulphurea et sim. a. non minus anomalae sunt quam R. rubiginosa, villosa, canina, indica, gallica, alpina &c.

Ut hisce discordiis et contradictionibus limites ponerentur, summe necessarium videbatur, species usquedum indicatas aequali,

Digitized by Google

et quidem sat larga liberalitate colligere, earumdem rationes adferre, alias novas pari methodo proponere, subspecies et varietates quasdam eminentiores singulariter discernere, et sic compositas omnes ulteriori observationi, et sano judicio posteritatis commendare, ut tandem verae confirmentur et spuriae deleantur, utque producta horticulturae vel lusus Naturae rite discernantur a conformationibus essentialiter specificis, verbo, ut species Rosarum ad aequalem normam distinguantur, quae in aliis omnibus generibus, quae in distinguendis speciebus Ericae, Pelargonii, Oxalidis, Violae, Caricis, Salviae, Solani, Campanulae, Euphorbiae &c. pro recta certaque habetur.

Experientia edoctus, permultos primo intuitu hasce rationes non sufficienter intelligere vel saltem acceptare, repetitis vicibus earumdem explicationem retractavi. In genere Rosarum longe aliter se habent quam in Diantho, Primula, Pyro et sim. In his per-

Digitized by Google

pauci sunt, qui varietates pro speciebus venditant. Rosae vero habentur plurimae, de quibus usquedum incertum est, num pro speciebus vel varietatibus habendae sint, multae, quae ut varietates ad species relatae fuerunt, quibus minus affines sunt quam aliis. In aliis generibus non erit necessarium, pari tenuitate species, subspecies et varietates discernere, et totidem auctorum conferre controversias. Timidus haec Tibi trado, B. L. Considera labores et impedimenta, et indulge limitibus humani ingenii!

Haec de praesenti Rosacearum specimine! Quod ipsam Synodum adtinet, cum tandem serius aut citius ad finem pervenire debeat, Prolegomena et Epitomen sine ulla mutatione conscripta exhibeo, qualia jam ante praesentes editionis rationes fuerunt. Si retardata insequentia Monographiarum Totius finem quam diu proferat, quaelibet tamen erit pars explens, et simul per se opus perfectum. Si vero ex quacumque demum

Digitized by Google

causa mihi nondum perspicibili, talis continuatio non desideretur, praesens labor non penitus inutilis habebitur, cum familia Rosacearum nostris diebus summam omnium Botanicorum attentionem sibi vindicavit, et conspectus sententiarum circa illarum genera et species tantopere differentium maxime optandus erat. Verbo continuatio et acceleratio Synodi botanicae dependet a benigna laborum editorum exceptione, et si haec votis non respondeat, Monographia Rosacearum erit simul prima et ultima.

Scribebam 8va Cal. Aprilis MDCCCXXIII.

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Clarissimi ac doctissimi viri, quibuscum contendere immensa temeritas foret, in redigendis Generibus et Speciebus plantarum misere torquentur cogitatione, quod nulla industria, nullus labor, nullum ingenium, nulla auxilia sufficiant ad opus ita perficiendum, ut non post aliquot annorum decursum mancum et inutile dici debeat. Ex altera parte pro his, qui talibus libris utuntur, onus est ingens et maxime molestum, eisdem abdicare, et omni fere decennio novum opus, pretio deperdito, sibi comparare debere.

Unicum hisce miseriis cohibendis remedium par est; quod nimirum in schedulis mobilibus cuivis generi et speciei dicatis consistit. Sic enim omni tempore, absque ulla totius senescentia vel derogatione, nova inseri et erronea vel alienanda sola schedularum aliquot permutatione emendari aut melius redigi possunt. Hac autem ratione integritas operis non modo nunquam depravatur, sed potius de die in diem magis confirmatur, vitiis expurga-

Digitized by Google

tur, et gradui perfectionis appropinguatur, quem unquam opus humanum assequi potest. Non enim ut labor unius sed ut productio industriae unitae Botanicorum omnis terrarum orbis, omnisque aevi, et veluti communi consensu stabilita sententia eruditionis perpetuae Synodi consideranda est. Quidcunque serius detegetur vel observabitur, schedulis singularibus impressum, facili negotio in suum locum reponi poterit; si genera dilacerentur vel coadunentur, vel si ad observationes serius institutas species quaedam ex uno genere in aliud transferri debeant, vel tandem, si species quaedam pro varietatibus vel varietates pro speciebus agnitae intelligantur, integritas operis nullo modo offenditur, sed schedulis quibusdam correspondentibus permutatis, omnia in ordinem et statum completum redigüntur.

Ut autem hoc fieri possit, debent fundamenta locari; ut ad finem perveniatur, debet initium sumi. Pro tali fortasse sufficeret, genera et species a Willdenowio vel Persoono stabilitas in schedulas transscribere; etenim de anno ad annum emendationes atque insertiones adjici possent. Sed quis vellet esse tam commodus cum damno contemporaneorum? Horum enim multum interest, ut quam primum fieri potest, in usumfructum novissime elucubratorum instituantur. Itaque mihi officium imposui, etiam haec ipsa mea initia tantum excolendi atque perficiendi, quantum vires et fontes suppeditabunt.

Digitized by Google

Neque Systema, neque ordinem alphabeticum adhibendum putavi. Quod enim ista adtinet, varii sunt sensus usu practico occupatorum. Schedulae liberae ad cujusvis indolem ordinari, et si forte propensio ullius permutetur, iterum alio modo constitui possunt et consociari. Sin autem ordinem alphabeticum iniissem, lectores ante opus plenarium absolutum nullam integritatem obtinuissent.

Idcirco forma monographica mihi prae ceteris omnibus arrisit. Auctoritati maximi viri A. P. De Candolle innixus, et genio consuetudinis confirmatus, ipsaque ratione convictus, commentationes monographicas omnibus anteferendas putavi, quod quaelibet per se opus integrum et absolutum, continuae emendationis et incrementi capax, continuitati vero Totius minime adversa est.

Ut tamen aliquo modo monographiae ipsae inter se cohaereant, affinitatis naturalis normam mihi proposui, *) ita quidem ut familiae naturales methodo ab illustrissimo ac doctissimo Curtio Sprengelio exposita sibi invicem subsequerentur; ast ordine inverso, familia Rosacearum incipiendo et ad plantas cryptogamicas usque progrediendo. Nec mi-

*) Primum consilium (die 1. Martii 1817 publicatum) fuerat, monographias ipsas sine ordine edendi. Ast nexus ullus (qualiscumque demum sit) a plurimis considerationi commendatus fuit.

Digitized by Google

hi legem sanctam feci, sed facultatem excepi familias ipsas adaugendi vel restringendi, imo divellendi aliterque coordinandi, ubi animus et affinitatis sensus mihi persuadent, talem declinationem naturae melius convenire.

Sic tandem, aliquot monographiis absolutis, jam rem inchoassem, aliisque continuandam relinquere possem. Sed Botanicorum interest, ut Totum brevissimo temporis spatio, quo fieri potest, ad finem perficiatur!

Ex hac denique causa demissus adii summe venerandam Societatem Regiam Botanicam Ratisbonensem, ut velit hosce mei laboris fructus sua protectione tueri, consortium auxiliis accelerare, opus ipsum ut relationem fidelem decisorum congressus botanici universalis considerare, et meo recessu, sive ob mortem sive ob labefactationem virium et valetudinis, alium redactorem instituere, verbo, materno amore pro immortalitate suae prolis, ipsa utique immortalis, omnem curam gerere.

Haec omnia in sessione die septima Martii hujus anni generosa mente atque unanimi consensu concessa et solennibus literis in tuto collocata fuerunt, praesentibus atque signatis Dre. Hoppe, Societatis Directore, Dre. Lang, Archiatro, Consiliario Legationis Felix, Consiliario saltuario de Stengel, Inspectore Emmerich et Dre. Oppermann, Societatis secretario perpetuo.

Hac ratione Botanices cultoribus omnis, quae

Digitized by Google

optari poterat, certitudo circa operis perfectionem et accelerationem stabilita fuit.

Opus itaque praesens (non meum, sed totius Botanicorum communionis!) ut omnium maxime perfectum atque absolutum, ut penitus immortale, et legale omni loco ut omni tempore considerandum est. Ad hujus normam in posterum omnes juniores componi debebunt. Quaecunquae enim serius observantur, deteguntur, statuuntur, huic operi adaptanda sunt, sive redactioni immediate communicentur, sive in scriptis singularibus, diariis, aliisque et quibuscunque demum operibus mixtis deponantur. Nomina detectorum, observatorum, auctorum sancta et inviolabili religione subsignentur omnibus excerptis et communicatis; et sic tandem cum opere ipso hisce aeternae meritorum memoriae monumenta tuta redduntur. Quae redactoris praesentis ipsius sunt, litera T. subsignata distinguenda veniunt. Tum solummodo, cum non pure verba cujusdam sunt, veluti in versione vel compendio, nullum nomen subsignatur.

Quod jam operis ipsius constitutionem adtinet, sequentibus conditionibus absolvitur:

Quaelibet familia, quodlibet genus, quaelibet species, et ex singulari respectu nonnunquam ipsae varietates distinctissimae, cultura vel usu celebratae singulis schedulis describuntur, ita tamen, ut omnia, quae dicenda sunt, plerumque uni paginae imprimantur, in charta scriptoria, adversa vacua,

Digitized by Google

quo possint observatores in itineribus vel ubicunque locorum suas emendationes vel alia memorabilia historica, critica, oeconomica, technica, medica, philosophica, poëtica etc. adnotare; vel etiam ut schedulae eaedem possint herbariis, vel tabulis in hortis botanicis applicari, et sic ad naturam certitudo commentationis tentari. Selectae poterunt in excursionibus atque itineribus totius bibliothecae locum explere. Ne autem chartae prodige dilapidentur, forma operis parva, scilicet in 8vo min. electa, et literae tam parvae adhibitae sunt, ut, quae in alio opere duas paginas reposcerent, hoc loco in unicam conducerentur. Res majoris indolis, e. gr. proëmia circa genera majoris momenti, prolegomena, ubi necessaria habentur, consignationes, dissertationesque paginis continuis imprimuntur; in his enim nulla necessitas intelligitur, methodum eandem observandi. Talia semper initia tomorum constituent, imo etiam tunc, quando forte generibus intercalanda forent. Etenim schedularum interruptio in colligandis foliis, inepto tactu, permixtionibus ansam dare nimis facile posset. De rationibus in connumerandis, intercalandisque schedulis paullo postea loquar. Nunc ante cetera ea explicanda est, qua serius detecta atque emendata exhibentur.

Quaecunque editis generibus novis detectis, accuratius observatis, vel serius oblivioni ereptis accrescunt, sed non sola augmenta, imo etiam

Digitized by Google

emendationes et reformationes, in hac Synodi botanicae relatione religiose conservari debent. In hisce vero non coeca obedientia, et cujusvis innovationis prehensione huic operi bene consultum foret. Cautum tentamen et maturum judicium requiritur, ne saepius pejoribus meliora de suo loco submoveantur. Quae clara, et aperte legibus philosophiae botanicae conformia sunt, sive contraria, ea sola redactionis industria applicari poterunt vel respui. Ubi vero pericula, vel dubia imminere videntur, ad Societatis Reg. botanicae instantiam adpellabitur. Sapientia atque doctrina tot tantorumque virorum judicium feret, si non infallibile, tamen eaedem infallibilitati proximum, quam unquam ratio humana assequi potest.

Haec inserenda, haec reformanda tomis singularibus Supplementorum forma distinctis apparebunt. Poterunt itaque pro lubitu vel statim inseri et permutari, vel separata tomis supplementariis ligari atque vestiri. Ubi nempe in bibliotheeis majoribus specimina hujus operis deponuntur, magis idonea videtur separatio supplementorum saltem in tantum temporis spatium protensa, donec haec ipsa rariora fieri incipient.

Sub duplici titulo partes hujus operis proinde apparere debebunt, sub illo Synodi et illo Additamentorum. Hos etiam in signandis schedulis singularibus literis S et A distinguere oportet. Folia cujusvis tomi ad recentioris consuetudinis normam

Digitized by Google

non literis, sed numeris arabicis consignantur. Tomorum numerus signis romanis indicatur. Tandem schedulae ipsae, in quovis tomo, a numero primo incipiendo, signandae sunt. Quaevis ergo schedula quatuor inferne distinguitur signis, sed ita, ut primum distans sit numerus schedulae, secundum litera Operis, tertium numerus tomi romanus, et quartum numerus folii; e. gr. 64. S. II. 8. hoc est: Schedula sexagesima quarta in Synodi tomo secundo; folium 8vum; vel 24. A. V. 3. h. e. Schedula vigesima quarta in Additamentorum tomo quinto, folio tertio.

Hac institutione non modo omnia facillime inseri, dispersa in ordinem pristinum restitui, et quaelibet perturbatio primo intuitu detegi, sed et emendationes et nova a primitivo labore omni tempore discerni poterunt, et iterum pro lubitu separari. Loca, ubi schedulae inserendae vel permutandae erunt, accuratissime in proëmiis cujusvis tomi Additamentorum indicabuntur; sic pro exemplo dicetur: Schedula praesens Additamentorum inserenda est in Synodi tomo VIto inter schedulam 125tam et 126tam vel: haec schedula Additamentorum in locum schedulae 78vae tomi IIItii Synodi, delendae, inserenda est; vel: genere (hoc vel illo) in duo separato, species schedulis 54, 55, 56 et 57 in tomo Xmo Synodi descriptae sublevandae, et horum loco novum genus cum speciebus - - - schedulis 38, 39, 40, 41, 42, tomi IV Additamentorum inter schedu-

Digitized by Google

las 39 et 45 tomi X^mi Synodi inserendae sunt, e. s. p. Ne olim dubium circa schedulas deletas enasci possit, optime cavebunt possessores, si schedulae vacuae singulari adjectae cujusvis tomi, numeros hosce deletos adscribere velint cum indigitatione tomi Additamentorum, in quo haec deletio jussa fuerit.

Materialia ad hoc opus perficiendum suppeditant munificentia publica, bibliotheca propria, herbaria et horti amicorum, et tandem observationes per 32 annos a me in libera natura institutae. In futurum non dubito, quin hujusce eruditionis fautores meos labores communicandis observationibus vel plantis siccatis multo largius adjuvabunt, cum vix alia ratione certiores fructus suae humanitatis atque industriae exspectare, et meritorum suorum contra omnes temporis injurias magis securam tutelam majoremque per omnes gentes divulgationem desiderare liceat. Quid autem cum praesentibus meis auxiliis praestare valeam, judicent Lectores a praesenti primo labore in posteriores concludendo! Sane perpauca sunt, quae mihi aliena usquedum praestiterunt juvamina. Paria praestabo absque largioribus in reliquis generibus atque familiis. Sed quis de omni Botanicorum consortio tam vilem ferat opinionem, ut non potius exspectet, eos omnia, quae huic operi perficiendo apta videntur, inexpetita liberalitate praestituros fore? Quidcunque vero contribuatur vel denegetur, con-

Digitized by Google

sortia Societatis Regiae botanicae Ratisbonensis et propria diligentia non deficient, et sic Decennii periodo certe plura perficere queam, quam ullus unquam singulus et solitarius pari temporis spatio praestitit. Sine dubio elaborata Schultesii et Decandollii, ad finem usque producta, longe praestantiora forent quam ea, quae solus perficere valerem. Sed quis audeat huncce suorum operum terminum exspectare? Consecuto denique quis non doleret primorum tomorum imperfectionem atque ex hac ipsa Totius fatalem et penitus incorrigibilem inaequalitatem enatam? Ad species plantarum tanta industria absolvendas, quanta illustrissimi Decandollii suae absolvuntur, ad minimum triginta annorum spatium requiritur. Sed horum decursu in familiis primis tomis tractatis tot novae deteguntur, totque reformationes emendationesque invehuntur, ut fere dimidium laboris perditum censeri debeat antequam Totum finitum fuerit. Non nisi iniquus et improbus me facinoris arguet, quod eo ipso tempore, quo tanti viri, consueto more novas Specierum editiones inchoarunt, meum laborem in lucem proferre moliar. Etenim ipse jam sub initio anni MDCCCXVII prima vice promulgavi ideam hujus operis, tempore, quo neque Decandollii, neque Schultesii conatus publice notae fuerant. Per lustrum plenarium denique retardavi perfectionem cepti consilii; sed nulla praesentia meam usquedum intentionem superfluam reddidit. Tandem ratio meae institutionis

Digitized by Google

adeo differt ab illis auctorum cum summa veneratione nominatorum, ut revera hoc opus penitus diversum, novum et maxime originarium dici debeat, neque cum istis compositionem admittat. Tempore, quo b. Willdenowius suas species plantarum edidit, Parisiis Persoonus suam Synopsin, Havniae b. Vahlius suam Enumerationem inchoavit, ut taceam Lexica et Compendia eodem tempore publicitati tradita; at nemo hosce auctores injuriae accusavit; et tamen illorum molimina cum his Willdenowii heu! nimis conformia fuerunt. In republica scientiarum sola utilitas, et veritas pretium aufert. Si nostrum opus aliis vilius evaderet, merito communi neglectu supprimeretur, si non, quilibet verus Botanices cultor, ejusdem existentiam promovere debet et magni habere. Sane ex intima mente optarem optimum profectum laborum Schultesii ac Decandollii, sed et celeriorem — hoc penitus dissimulare nequeo!

Commentationis ipsius instructio optime ex adspectu praesentis initii intelligetur. Quaelibet familia sufficienti diagnosi, et subnexis brevibus adnotationibus, generum dehiscentias, distributionem, et locupletationem, universim memorabilia, exceptiones, affinitates etc. attingentibus, illustratur.

Genera ipsa, praeter diagnosim, indigitatione classis ac ordinis Syst. sex. Linn., generis proxime affinis, et observationibus criticis circa copiam et distributionem specierum systematicam pariter at-

Digitized by Google

que geographicam, usum et summe memorabilia, explicantur. Prosodia nominum, et etymologia, ubicunque necessarium videbatur, tradita fuit.

Nomina specifica primo adjectis fundatorum nominibus signata et sic legali norma confirmata sunt. Definitionem datam subsequitur exquisita Synonimia, et hanc (quatenus fontes suppeditant) descriptio non nimis profusa, sed ad diagnosim relata, quo melius, quo certius quaelibet species cognoscatur, et a reliquis omnibus distinguatur. Habitatio, saepe et statio speciei, ejusdem affinitas, historia, usus, et alia memorabilia raro deficiunt, et plerumque critico judicio concomitantur.

Dubia aliaque desiderata maxime urgentia non modo speciebus ipsis adjungere soleo, sed et in conspectum colligere, quo melius in memoria retineantur, quo certius, quo citius ab observatoribus, occasione favente, responsis et satisfactionibus tollantur. Tales congestiones ad initia tomorum exhibentur, quando magnum genus vel familia absoluta fuit.

Nisi omnia fallunt, jucundissima nobis spes arridet, Botanicem post Decennium ad multo altiorem perfectionis gradum evectam, multoties auctam, et ab omnibus mendis aevi praesentis purgatam atque immunem conspiciendi. Sed terminus suae perfectionis non tam arctis limitibus circumscriptus est. Botanici omnes terrarum plagas pervagantes continuabunt suos labores, incrementa au-

Digitized by Google

gebunt, et Botanica hac ratione inter omnes artes atque scientias prima erit, quae summum gloriae cacumen adipiscetur, ad quem unquam opus hominum accedere potest.

Non desint huic operi, quae a plenario generum et specierum catastro desiderari consueverunt! Non deerit Bibliotheca botanica, fundamenta, historia etc. Sed, cum volumina haec alioquin parva sint, et ab initio nostram intentionem, operisque totius ideam referre opportuerit, haec nobis pro aliis serioribus reservamus, quando nempe familiae vel generis minoris absolutio spatium relinquet, non statim alio, proximo nimis amplo, explendum.

Illustrissimus Prof. Decandolle in introductione ad suum Systema naturale plures abbrevationes novasque literas hieroglyghicas exhibuit. Hisce omni, qua opportebat, attentione consideratis, plures adhuc videbantur reposci, paucae aliae superfluae esse. Nobis necessitas imposita fuit, signa calendariis recepta in illorum locum substituere, et sic tandem constitutio sequentium maxime utilis atque necessaria videbatur:

⊙ Planta monocarpica annua: i. e. quae aestate e semine nascitur, eademque floret, fructificat et perit; veluti Mercurialis annua.

⊙⊙ Planta monocarpica biennis: quae primo anno enascitur et vegetat, altero fructificat et perit; veluti Cerinthe minor.

♁ Planta monocarpica diuturna, quae per plurium

Digitized by Google

annorum spatium vegetat, sed semel tantum fructificat et perit; veluti Sempervivum tectorum. Quaedam irregulariter perdurant vel jam primo anno fructificant et pereunt; veluti Echium rubrum; sunt ergo ☉, ☉☉, et ●.

♃ Planta perennis seu rhizocarpica: quae quotannis ad radicem usque emoritur, sed ex eadem radice novam herbam emittit florentem et fructificantem, et tali modo per plures annos perdurat; veluti Ligusticum Levisticum.

♂ Planta caulocarpica: cujus caulis plures annos perdurat, non lignosus, sed herbaceus, et saepius floret et fructificat; veluti Cactus flagelliformis.

♎ Planta rediviva; quae radicibus novis propagatur, pereunte illa, cujus herba floruit et fructificavit: e. gr. Solanum tuberosum.

♀ Planta sobolifera; quae sobole plerumque ad rhizoma enata multiplicatur; veluti Poa pratensis. Aliae sobolem ex herba dimittunt; e. gr. Baumgartenia sobolifera.

♏ Planta radicans, vel stolonifera; quae vel stolonibus (Fragaria vesca) vel apophysibus radicantibus propagantur; veluti Rhizophora Mangle. Huc etiam respiciunt Hedera Helix, Cuscuta Europaea, Cacti etc.

♃ Planta vivipara; quae gemmis deciduis plantam reproducentibus propagatur; veluti Dentaria bulbifera.

Digitized by Google

♉ Frutex; cujus caulis lignosus jam a radice in ramos divisus est, sive sit magnus (Rosa moschata) sive exiguus (Andromeda tetragona) etc.

♄ Arbor; cujus cormus lignosus simplex superne tantum in ramos dividitur: e. g. Quercus pedunculata.

♈ Planta frondosa; cujus cormus sublignosus simplex in nullos ramos dividitur, v. gr. Phoenix dactylifera.

● Planta acaulis, vel radiciflora; cujus folia et flores rhizomati insident; e. gr. Carlina acanthifolia.

♐ Planta scapigera; cujus flores scapo sustinentur. Apargia incana.

♓ Planta heterophyta; cujus cormus foliiferus separatus atque distinctus est a florifero; uti in Alstroemeria Ligtu, Curcuma Zedoaria et sim.

♍ Planta calamaria vel culmigera; cujus cormus culmus est: e. gr. Cyperus longus, Panicum verticillatum,

♑ Planta scandens. E. Pisum sativum; sive cirrhos emittat (Vitis vinifera) sive non (Lonicera Caprifolium).

△ Planta sempervirens. Buxus sempervirens.

♋ Planta dioica; cujus individua sexu separata sunt, e. gr. Lychnis dioica.

♒ Planta monoica: Sexus separati in eodem individuo: e. gr. Juglans regia.

♂ Mas.

Digitized by Google

♀ Foemina.

⚥ Planta hermaphrodita.

∞ Quodcunque numero indefinitum est.

† Ubi aliquid obscurum, imperfectum, desiderandum.

* Signum post auctoris Synonimon indicat in hujus libro adesse plantae descriptionem completam.

Aest. Aestate.

Alb. Albumen s. perispermum.

Alp. Alpes. Alpinum.

Anth. Anthera, Anthodium, Anthesis.

Apr. Aprilis, Aprica.

Arv. Arva. Arvense.

Ar. Arena. Arenosum.

Art. Artificiale.

Aug. Augustus.

Augm. Augmentum.

Aut. Autumnus, Autumnale.

B. Beatus v. defunctus.

Br. Bractea.

Cal. Calyx.

Cald. Caldarium.

Camp. Campi. Campestre.

Carpell. Carpellum, sive pericarpium partiale fructus compositi.

Carpid. Carpidium, s. pericarpium partiale fructus aggregati.

Carpol. Carpologia.

Digitized by Google

Cel. Celeberrimus.
Char. Character. Characteristicum.
Cl. Clarissimus. Classis.
Coll. Collis. Collinum. Collectanea.
Cor. Corolla. Corollarium.
Cot. Cotyledon.
Cult. Cultum. Cultura.
Dec. December. Decas. Decandria.
Descr. Descriptio.
Des. Desideratur.
Diff. Differentia.
Diss. Dissepimentum. Dissertatio.
Dum. Dumetum.
Ed. Editio. Editor. Edule.
Excl. Exclusio. Excluso.
Embr. Embryo s. Corculum.
Ess. Essentialis.
Fam. Familia.
Feb. Februarius.
Fil. Filamentum.
Fl. Flos. Flumen. floret. florale.
Fol. Folium.
Fr. Fructus.
Fructif. Fructificatio; vel etiam Character ex organis fructificationis desumptus.
Fun. Funiculus umbilicalis.
Gen. Genus. Genericum.
Germ. Germen.
Glar. Glareosum.

Digitized by Google

H. Herbarium. Habitat.
Hab. Habitat.
Herb. Herbarium. Herba.
Hexap. Hexapodium, seu sex pedum longitudo.
Hort. Hortus.
Hortul. Hortulanus. Hortulanarium. Hortulus.
Hosp. Hospes. Hospitatur.
Hum. Humidum. Humus.
Ic. Icon. b. bona. m. mala. p. picta. l. lignea. n. nigra.
Ill. Illustratio. Illustre.
Infl. Inflorescentia.
Ined. Ineditum. Inedule.
Ind. Indicum. India. a. australis. or. orientalis. occ. occidentalis. Index.
Inf. Inferum.
Inund. Inundatum.
Jan. Januarius.
Jul. Julius.
Jun. Junius. Junior.
Juv. Juvenis. Juventus.
Lat. Latus. Latitudo. Lateralis.
Lin. Linea. Linearis.
Lit. Litera.
Litt. Littora. Littoralis.
Long. Longus. Longitudo.
L. c. Loco citato.
Loc. Loculamentum. Locusta.
Maj. Majus.

Digitized by Google

Mar. Mare. Marinum.
Mat. Matutinus. Maturus.
Mart. Martius.
Mont. Montes. Montanum.
Mss. Manuscriptum.
Mus. Musaeum.
N. Numerus.
Nat. Naturale.
Nem. Nemus. Nemorosum.
No. Numero.
Nom. Nomen. gen. genericum. triv. triviale s. specificum. barb. barbarum. leg. legale. syn. synonimum.
Oct. Octobris.
Obs. Observatio. Observandum.
Or. Origo. Originarium. Oriens. Orientale.
Ord. Ordo. Ordinarium.
Ov. Ovarium.
P. Pagina. Pars.
Pal. Paludes. Paludosa.
Ped. Pedunculus.
Peric. Pericarpium.
Perig. Perigonium.
Pet. Petalum. Petiolus.
Phyll. Phyllum. Phyllodium.
Pist. Pistillum.
Pom. Pomeridianum. Pomum.
Plac. Placenta.
Poll. Pollicaris.

Digitized by Google

Pr. v. Primo vere.
Rad. Radix. Radius. Radiatum.
Ram. Ramus. Rameum. Ramosum.
Rec. Receptaculum. Recapitulatio.
S. Seu. Sive.
Sep. Sepalum. s. calycis phyllum. Sepes.
Salt. Saltus. Saltuarium.
Sect. Sectio s. divisio.
Segm. Segmentum.
Sept. September. Septas.
Ser. Series.
Sem. Semen. Semis.
Sicc. Siccum.
Stam. Stamen. Stamineum.
Stigm. Stigma.
Stip. Stipes. Stipula. Stipularis.
Sp. Species. Specificum.
Spont. Spontaneum.
Spor. Sporula.
Sporang. Sporangium.
Styl. Stylus.
Subd. Subdivisio.
Subv. Subvarietas.
Sup. Superum.
Sylv. Sylvestre. Sylva.
Syn. Synodus. Synonimon. Synopsis.
T. Tabula. Tomus.
Tep. Tepidarium.
Temp. Tempestas. Temperatura.

Digitized by Google

Trib. Tribus, divisio.
Triv. Triviale.
Turf. Turfosum.
V. Volumen. Vide. Vel. Vulgo.
Var. Varietas.
Vern. Vernale. Vernacula.
Vert. Vertex. Verticale.
V. s. c. Vidi siccam cultam.
V. s. s. Vidi siccam spontaneam.
V. v. c. Vidi vivam cultam.
V. v. s. Vidi vivam spontaneam.
Veg. Vegetabile. Vegetatio.
Vir. Viridarium. Vires. Viride.
Vesc. Vesca. Vescarium.
Visc. Viscosum. Viscositas.
Volv. Volva. Volvaceum.

Vale benevole Lector! incepto fave operi, quod, si quibuscumque demum adminiculis suffragaturus sis, non minus tuum erit, quam ullius: tibi ipsi patent haec ostia! Quaecunque vera et proficua communicaveris, aeternitati tuam conservabunt memoriam.

Scribebam Viennae VII. Cal. Aprilis anno MDCCCXXII.

Leopoldus Trattinnick.

Digitized by Google

EPITOME

DE

PRAESENTI ROSARUM COMMENTATIONE.

Rosarum cognitio critica innumeris usquedum difficultatibus impedita fuit. Clarissimi viri et sagacissimi, acutissimique observatores ingenue fassi sunt, se in tanto rerum discrimine non valere omnia illustrare, quae desiderantur. Sic e. gr. ipse illustriss. L. B. Marschall a Bieberstein in suae Florae Taurico-Caucasicae T. III. p. 363 sequentibus suam excusat impotentiam:

„Rhodologiae clavis, me quidem judice, hu„cusque desideratur; cui reperiundae me imparem „esse ingenue fateor. Recensui hic species complu„res, imprimis sub R. rubiginosa, tomentosa et col„lina auctorum delitescentes, magis peregrinae auc„toritati, quam propriis observationibus inhaerens, „sedulo attamen comparatis nostratibus. Afferet de„nique lucem et huic intricatissimo generi dies."

Digitized by Google

Quis jam adeo iniquus foret, ut a me exspectaret, quae nostro tempore propter impedimentorum copiam et gravitatem praestari nequeunt? In Rosarum amabili coetu nimis multa sunt, quae nostris conatibus illudunt, veluti insignis ad anomalias proclivitas, mutatio per aetatem, diversitas soli et stationis, hybriditates, et tandem cultura, quae omnem ordinem naturalem perturbat. Quod autem praeter haec omnia longe plurima discrimina paravit, auctorum ipsorum illa diversitas est, et in rebus intuendis controversa inaequalitas. Etenim, cum isti in speciebus multiplicandis extravagantes, quamlibet fere coloris vel figurae aberrationem pro specificis differentiis habent, alii ex adverso species sufficienter distinctas, et jam fere ab omnibus agnitas iterum conglutinant; et cum in hisce colliquefactionibus diversi scriptores non semper ab iisdem principiis observationibusque ducti fuerunt, factum est ut una eademque species modo pro hujus modo pro alterius varietate declararetur. Imo saepe saepius quaedam species v. gr. R. gallica, spinosissima, umbellata etc. nunc pro specie declarata, dein ut varietas considerata, serius iterum in jus specificum restituta, iterum cum alia conjuncta, et sic vicissim adeo incerta reddita fuit, ut jam circa has in eo statu nos observare debeamus, quo neque leges neque principia, sed mos et consuetudo dominantur. Hortulani, fundamentis scientiae penitus deficientes, omnia promiscue ven-

Digitized by Google

ditabant, species pro varietatibus, varietates pro speciebus. Absurda est qualitas diversitatum, quae in hortis nominibus specificis, saepe non minus absurdis, distinguuntur. Alii pro varietatibus varietates declarant, sed speciem, ad quam haec vel illa referenda sit, vel male significant, vel penitus ignorant. Saepe magnates horrendis sumptibus Rosarum sibi thesaurum comparare student, sed vanis nominibus decepti ne quidem decimam specierum definitarum partem, sed copiam varietatum, subvarietatum et aberrationum leviorum recipiunt, neque cum earum rationibus, relationibusque ad suas species instruuntur. Tales autem potius artis quam naturae productiones cito pereunt, et non naturae genium sed tantum indissolubilem ipsius sub omnibus circumstantiis integritatem commonstrant.

Immodica haec nomina venditandi proclivitas adversarios exstimulavit, sua parte non minus extravagantes. Sic cell. Désvaux in suo opere Journal de Botanique v. IV. p. 113 et seqq. species pro varietatibus declarat, quae ne quidem ad easdem series pertinent, de qua species suae principales sunt. Tamen alias agnoscit species, quarum differentia essentialis certe non major est, quam haec earum, quas pro varietatibus declaravit. Sic pro exemplo R. sepium et R. canina non magis differunt, quam R. canina et R. collina. Quid autem dicamus, quando cell. Le Jeune in sua Flora Spadana IL 315 de

Digitized by Google

experimento a se instituto nos informat, et nobis persuadet, sub suis manibus ex seminibus R. centifoliae verissimam R. rubiginosam enatam fuisse? Profecto, si talia admitteremus, fateri oporteret, nullam porro dari Rosae diversitatem specificam. Si autem hoc defenderemus, absonum et contradictorium foret, in tot aliis generibus, veluti in Erica, Cypero, Carice, Oxalide, Pelargonio etc. plures species admittere, et sic tandem vix tercentesima nostrarum specierum in systematibus pars superstes maneret. Oporteret itaque omnes nostras elucubrationes et methodos respuere, et penitus nova Botanices fundamenta jacere. Verbo — factum a Le Jeunio narratum — sit rite observatum nec ne, nullus tamen Botanicorum in eo consentiet, R. centifoliam et rubiginosam esse unam eandemque speciem. Sic tandem et ceteras Rosarum species immunes servare opportebit, etsi forte olim quisquam ex seminibus Rosae villosae Rosam cinnamomeam produceret, vel R. spinosissimam e seminibus R. alpinae. Species originarias non cognoscimus, earum vero progenies utcunque degeneratione alienatas pro arbitrio ita solemus discernere, ut conformationes ceteris magis constantes, et notis essentialibus non facile permutandis dignoscendas pro specificis habeamus, pro varietatibus autem eas quae in organis minus essentialibus aberrant, et facile ad statum suae speciei normalem (e seminibus natae!) revertunt. Sic admittimus diversitatem R.

Digitized by Google

muscosae, centifoliae, biferae, Damascenae, Gallicae, sic aliam R. moschatae et sempervirentis, sic iterum aliam R. Hudsonianae, lucidae, Carolinae, Virginianae, cinnamomeae etc. Pro nobis differentiae harum Rosarum pariter graves sunt ac illae, quibus species Cinchonae, Lauri, Acaciae, Piperis et Indigoferae distinguuntur. Cum autem tot hybriditates, tot anomaliae et transitus saepius specierum accuratiorem distinctionem maxime difficilem reddant, non mirum, si hic vel ille in suis expositionibus delitescit; errores, qui non nisi judicio Synodi corrigi, a singulis vero nullo modo evitari queunt.

Ut autem aliquid corrigi, et emendari possit, debet adesse in fideli relatione, debet judicio subjici cum omnibus rationibus defensoriis pariter ac contradictoriis.

Sic jam et ego mearum partium duxi, species a Bessero, Biebersteinio, Andrewsio, Thoryo, Rauo, Woodsio, Tauschio, Wallrothio, Willdenowio, aliisque stabilitas cum suis notis exponere, imo et novas statuere, quatenus tantopere differre videbantur, quantopere ceterae species ab omnibus vel saltem plurimis agnitae inter se differunt. Sine dubio consensus judicum plures harum delebit. Ipse mea dubia non dissimulavi, et ad specierum ipsarum commentationem adposui rationum quantitates, quibus cum aliis cohaerere videbantur. Si ipsemet tales pro varietatibus declarassem, immodestiae ac-

Digitized by Google

cusationem meruissem. Mea enim opinio unitas est, unitas quoque opinio illius, qui speciem talem primus divulgavit.

Velint Lectores hanc Rhodologiam ut repertorium considerare, in quo rationes omnium observationum circa Rosas usquedum instituarum inveniri possint et dijudicari, quas eo fine in ordinem disposui, et conformi methodo in integrum conjunxi. Exposui hoc loco 206 species, et inter has 37 novas, vel saltem a me aliter demoninatas *), cum nomina priora secundum leges philosophiae botanicae repudiari debuerunt. Haec omnia sunt, quae mihi ex fontibus tum temporis apertis haurire licuit; haec mihi praestitit bibliotheca propria, et observationes in hortis, herbariis et libera natura institutae. Quod adhuc deficit, hoc explebit continuata observatorum diligentia et fontium incrementa. Clarissimus Willdenowius suo tempore (ao. 1800) in Speciebus plantarum, nondum plures quam 39 reddidit Rosarum species. Ab hoc tempore Willdenowius ipse (in Enumer. hort. reg. Berol.) plures addidit novas; et permultas alias inveni ab Andreusio, Bechsteinio, Biebersteinio, Decandollio, Purshio, Rauo, Rothio, Thoryo, Villarsio, Wallrothio,

*) Ab illo tempore, quo hoc scriptum fuit usque nunc ad terminum traditi manuscripti, numerus specierum a me expositarum usque ad 240 increvit, (v. Praefat.) et illarum, quas ipse denominavi, usque ad 45.

Digitized by Google

Woodsio, aliisque descriptas species; plures quoque neglectas et oblivioni traditas in lucem revocavi, veluti illas Thunbergii, Scopolii, Krockeri, Loureironis etc. Collectis tandem et ceteris in operibus Sprengelii, Schultesii, Simsii, Pallasii, Poiretii etc. sparsis, numerus specierum, relatus ad illum Willdenowii supra memoratum, in quintuplum et ultra increvit, augmentum spatio 21 annorum consecutum, quod clare de stupenda Botanicorum nostri aevi diligentia artisque ipsius incremento testatur.

Quo melius haec specierum copia perspici, quo facilius nomen desideratum erui possit, species secundum affinitatem in series 23 dispescui *), cui alteram 24tam subjunxi, quae dubias et nimis breviter descriptas conservat.

Quid in adumbratione specierum praestiterim, inspectio operis ipsius docebit. Definitiones meliores et magis conformes reddidi, ubi necessarium videbatur; ubi vero omnis autopsia denegata fuerat, vel ubi datae alioquin legitimae erant, verba auctorum immutata adposui. Ubique nomen auctoris subscripsi; quae mea sunt, sola litera T. subsignavi. Quando vero verba auctoris non penitus dici poterant, e. g. in compendio, versione etc.,

*) Has nominibus Botanicorum de Rosarum genere meritissimorum adornavi.

Digitized by Google

subsignationem omnem evitavi, ne olim quis dicere possit: „Haec non verba ipsius auctoris sunt.“

In qualibet serie species ipsas ita coordinavi, vel saltem coordinare studui, ut simillimae seu maxime affines sibi semper proximae conspicerentur, utque gradus diversitatis jam ipso loco exprimeretur. Ceterum notae criticae cuivis speciei subscriptae rationes reddunt, quae meas opiniones definiebant.

In genere Rosarum varietates magnas partes agunt. Sub manibus cultorum innumerae natae sunt, et plures illarum nominibus propriis distinguuntur. Plures habentur, quarum differentia specificae par est, aliae ob elegantiam insignem, usum, vel historiam tanti momenti sunt, ut earumdem cognitio, ipsae speciei cognitioni anteferenda videatur. Tandem in hortis tot coluntur varietates ab omnibus existimatae, ut eas silentio praeteriens superbae contemtionis et neglectionis accusari deberet. Itaque necessarium putavi, non modo easdem recensere, sed et praecipuas singulariter distinguere et observationibus illustrare. Hoc eo magis reposci videbatur, cum plures usquedum ad species relatae fuerunt, a quibus ortae fuisse non poterant. Sic e. g. plures ejusmodi varietates adscripsi Rosae austriacae, pumilae, oxyacanthae etc. quae antea pro varietatibus R. gallicae et pimpinellifoliae habebantur. Sed et in eo aliquid praestandum erat, ut diversitates Rosarum ab aliis pro specificis, ab

Digitized by Google

aliis pro varietatibus declaratae ad principia conformia stabilirentur, et certitudo possibilis redderetur, num pro speciebus, vel varietatibus habendae sint.

In cunctis causis mea intentio fuit, rem ita explicandi, ut quilibet scire possit, quid usquedum factum sit, quid adhuc desideretur? Non reticui meam opinionem, sed etiam adversariam adposui. Verbo, species, quas hoc loco pro talibus exposui, pro mea opinione tantum differunt, quantum ceterae in aliis generibus a majoritate Botanicorum receptae veluti in generibus Caricis, Iridis, Salicis, Campanulae, Veronicae et sim. Quas autem ex istis judices competentes in futurum pro meris varietatibus declarabunt, eas parato animo e catastro removebo; sed sine dubio, ut varietates majoris momenti, attentione et memoria observatorum ulterius dignae habebuntur. Plantas hybridas non potui varietatibus adsoribere; nam varietas est unius speciei, planta hybrida vero de duabus diversis orta, nullae majori jure tribui potest; et, cum etiam in libera natura plures existant species, quae ex permixtione specierum diversarum primo enatae fuerunt, non dubitavi, easdem ut species novas exponendas esse. Monstrositates tandem separavi a varietatibus. Nam varietas persistit in individuo, monstrositas vero in eodem apparet atque disparet. Forte plures in futurum varietates monstrositatibus adnumerentur, quae veluti R. centi-

Digitized by Google

folia carnea suo charactere alienantur; forte olim omnes flores pleni monstrositates nec varietates dicentur, cum experientia magistra eadem individua ab initio plena saepe in statum simplicitatis redeant, et individua simpliciflora flores tandem plenos acquirant, res, quae jam innumeris vicibus in Cheirantho Cheiri, Diantho caryophyllo, Viola odorata, Hyacintho orientali, Paeonia officinali, Hibisco Rosa sinensi et in ipsa Rosa centifolia observata fuit.

Quo citius, quo certius lacunae expleantur, et omnia ea praestentur, quae usquedum industriam observatorum fefellerunt, vel ea, quae saltem meas investigationes evaserunt, omnia mea dubia, quaestiones et desideria in conspectum recolligam; sparsae enim et commentationibus intermixtae facillime oblivione retardantur. Sunt autem sequentes:

Fructus mihi ignotus perstitit, nec tamen nullius momenti esse videtur de Rosa berberifolia, aciphylla, bibracteata, Woodsii, brevistyla, caesia, calycina, clynophylla, corymbosa, Cretica, Doniana, Montezumae, geminata, gracili, Hibernica, Iberica, involuta, fastigiata, Pouzini, molli, multiflora, muscosa, myriacantha, nivea, nuda, Orbessanea, parviflora, Ehrhartiana, pomponia, pulchella, Rosenbergiana, rubrispina, setigera, suaveolenti, terebinthina, sylvatica, humili, elliptica, casta, Carolina. Quilibet facile perspiciet, sermonem hoc

Digitized by Google

loco esse de Rosis a me hisce nominibus denominatis, neque de aliis, quae forte sub iisdem nominibus ab aliis auctoribus promulgatae fuerunt.

Adumbrationes magis amplificatae, vel etiam definitiones magis perfectae, verbo repetitae observationes optandae forent circa Rosam balsamicam, enneaphyllam, glaucam, Helveticam, gemellam, Ibericam, Lyonii, Maukschii, microcarpam, myriacantham, Nankinensem, nitidam, lutescentem, nudam, polyphyllam, Willdenowii, rubifoliam, setigeram, suavem, Besseri, tuguriorum, mixtam, Anderzejowscii, livescentem, dimorpham, caryophyllaceam, oxyacantham, Virginicam, Raffinesqueanam, enneaphyllam, obtusifoliam, glaucam, adenophoram, fraxineam, Thunbergii, Thorii, odoratissimam, parvifoliam recurvam etc.

Patria vel statio prae ceteris in votis essent de Rosa Candolleana, campanulata, corymbosa, Damascena, rubrispina, etc.

Sequentes Rosarum species penetrare, earumque differentias vel affinitates investigare mihi penitus denegatum fuit: Rosa amoena Waitz. biflora Breit. Blandfordii Waitz. carnea Breit. cinerea Swartz (an R. majalis?) cinnabarina Wrede. coccinea Wrede. corallina Willd. Enum. coronaria Wrede. coronata Wrede. cuspidata Ehrh. (an R. Bieberstеiniana?) diacantha Pall. fenestralis Noisette. floribunda Waitz. frutecorum Bess. fusca Wrede. glauca Schott. glaucescens Merat. glutinosa Demat.

Digitized by Google

gracilis Waitz. grisea Wrede. Hispanica Mill. incarnata Wrede. Lyonensis Rössig. maritima Wrede. marmorea Rössig. Massiliensis Breit. macrocarpa Rochel (v. Schultes fl. Austr.) miniata Wrede. Missonia Nois. obtusifolia Désv. ochroleuca Waitz. ovata Le Jeune. palustris Donn. Parisiensis Wrede. picta Wrede. polyanthos Röss. prostrata Désv. prostrata De C. pubescens Schleich. pubescens Fischer. purpurea Breit. Hibernica Forster (v. Woods in Jahrb. d. Gew. I. fasc. 2. p. 84.) rubra Breit. rubricans Röss. rugosa Demat. sorbifolia Breit. spinulifolia Foxiana Thory. (v. R. spinulifolia!) superbissima Waitz. tenera Wrede. tricolor Breit. violacea Breit. xerampolina Breit. venosa Swartz. (an mera varietas R. uncinellae?) montana Steven. (v. M. B. fl. Taur. Cauc. III. 353.) agrestis Savi. conf. Spreng. neue Entd. I. 49.) flava Wikstr. glauca Desfont. Plurimae harum merae R. gallicae, pumilae etc. varietates aliarumque specierum synonima esse videntur. Sed certitudinem mihi comparare non potui.

De jure specifico quaestiones prae ceteris moveri possent circa R. muscosam, Damascenam, arvinam, sylvaticam, pygmaeam, humilem, hybridam, tuguriorum, campanulatam, Sinicam, Chinensem, Laurentiae, terebinthinam, mollem, obtusifoliam, aciphyllam, dumalem, leucantham, solstitialem, Andegavensem, Caucasicam, biserratam, montanam, Creticam, caryophyllaceam, ellipticam, Jundzilli, rotundifoliam, Isaurae, luridam, rubel-

Digitized by Google

lam, Oederianam, cinnamomeam, pyrenaicam, pendulinam, Andreusii, Wulfenii, et plures de serie minus cognitarum.

Superest, ut dubia et pensa quaedam maxime specialia enumerem, quorum solutio et satisfactio omnibus certe Rosarum scrutatoribus accepta erit et exoptata.

Rosa berberifolia: an nunquam observantur folia pinnata? an forte ut in Acaciis quibusdam Australasiaticis folia primae juventutis pinnata sunt et seriora (Phyllodia) simplicia?

Rosa Americana Hortulanorum: nonne est R. suaveolens Pursh, vel R. eglanteria Americana Andrew's?

Rosa arborea Olivier, de qua Persoon (Syn. II. 50.) mentionem facit, et quae in Persia habitare dicitur; hanc nullibi porro commemoratam invenio.

Rosa Arduensis Le Jeune: de hac nil scio nisi nomen.

Rosa campanulata: Observandus est status flore simplici. A pluribus habetur pro mera R. turbinatae varietate, quod tamen mihi minus verosimile videtur, cum flores pleni multo minores sint quam illi R. turbinatae simpliciflorae.

Rosa canescens Krocker. II. 153. no. 784. etsi largius descripta, est mihi planta admodum dubia, uti et R. pygmaea ejusdem auctoris (R. Krockeri m.) l. c. pag. 154. in Adnotatione designata. Cell. Neygenfind in Enchiridio suo florae Silesiacae, utras-

Digitized by Google

que silentio praeteriit. Velint scrutatores has et omnes reliquas species seriei 24tae, quamprimum occasio favet, certitudini restituere et suis observationibus illustrare!

Rosa centifolia: Specimina a cell. Märklin prope Wisloch lecta videntur differre a Caucasicis. An forte planta Biebersteiniana specie differt? an planta Märklinii talis? an utraque mera R. pumilae varietas? discernant autoptae, quibus occasio arridet, ambas comparandi vivas, vel saltem siccas in perfectis speciminibus, non deficiente fructu!

Rosa cinnamomea: Optandum, ut horticultura certior reddatur, vel denegetur diversitas a me proposita inter Rosas cinnamomeam, Majalem, fastuosam atque fluvialem. V. Jahrb. d. Gew. I. Fasc. 2. p. 81. adnotationem ill. Linkii!

Rosa clynophylla: Nondum perfecte cognita. Desiderantur patria, fructus maturus et altitudo fruticis maturi.

Rosa evratina: an certe et sufficienter differt a R. laevigata Mich.? Desideratur altitudo, et fructus.

Rosa Villarsii: ut jus specificum determinetur, reposcitur uberior descriptio, et praecipue fructus.

Rosa Japonica Waitz. an alia quam R. multiflora? an forte R. Thunbergii? an R. florida Poiretii?

Rosa marginata: Desideratur inflorescentia. An recte conjunxi in seriem cum R. Nankinensi?

Digitized by Google

Rosa Reynieri: relata ad R. montanam, a Woodsio refertur ad R. tomentosam? Quidnam rectum?

Rosa rapa: Fructus hispidus?

Rosa Redoutea: Fructus hispidus?

Rosa Rosenbergiana: an flores odorati? Desideratur fructus.

Rosa Sabini, involuta, Doniana, gracilis: a me ad seriem R. villosae relatae a Woodsio referuntur ad affinitatem R. spinosissimae. Quid rectius?

Rosa suaveolens: an spontanea in America existit? ubi? desideratur fructus.

Rosa surculosa var. β melius observanda; forte nova species?

Rosa Vilmosina Breit: an forte R. centifolia carnea, hortulanis Vilmorin dicta? a cell. Steudel in Nomencl. bot. refertur ad R. Gallicam.

Cell. Lindley sub R. systyla (brevistyla nob.) duas allegat varietates β lanceolatam et γ Monsoniae: an non potius distinctae species?

R. rubifolia Lindl. a nostra specie differre videtur. (v. R. rubifolia.)

Rosa canina × quadridentata Désv. Journ. bot. 4. p. 115. In agro Andegavensi. Dentes foliolorum magni et remoti; pedunculus calyxque ovatus, hispidus. An R. Andegavensis?

Rosas laxam Retz. microcarpam Retz. et flavam Wikstr. mihi nondum contigit pro repertorio meo conspicere et suscipere; nam opus cell. Wikström

Digitized by Google

nondum venit ad manus. Ultima harum fortasse cum nostra R. pallida congruet?*)

Rosa sylvestris Roth (v. Röm. Arch. I. p. 33.) videtur quidem cum R. arvensi penitus congruere; tamen repetitis vicibus observanda; nam in tanta Rosarum turba facile posset accidere, ut propter affinitatem characteres vere specifici obiter conspecti negligerentur.

Rosa agrestis Savi: germinibus (urceolis) pedunculisque glabris, floribus subumbellatis; foliolis ovatis, dentato — serratis, caule petiolisque aculeatis etc. — mihi ignota, forte ad R. umbellatam referenda?

Rosae Carolina et parviflora: an sufficienter et constanter differunt?

Rosa pimpinellifolia inermis: Hanc quidem ut varietatem principalem descripsi. Tamen optandum esset, ut experientia iterata tuti redderemur, numne fortasse sit plus quam varietas?

Rosa gallica Agatha nimium pro varietate differre videtur: an potius specie distinguenda?

---

*) Nunc cell. C. Sprengel in Neuen Entdeck. T. III. p 254. sequentia exhibet: a) R. laxa Retz. fructibus ovatis glabris, pedunculis glabris hispidisve, laciniis calycinis eglandulosis, petiolis inermibus, aculeis caulinis recurvis, foliolis ovalibus subtus pubescentibus. Flores albi. Species R. cinnamomeae propinqua. b) R. microcarpa Retz. forte nil nisi Rosa canina?

Digitized by Google

Eo ipso momento, quo hasce quaestiones et dubia absolvo, advenit epistola dilectissimi et veneratissimi Hoppei de 20ma Martii 1822, qua mihi sequentes Rosarum definitiones transscribit, proxime in Diario botanico, Flora dicto, imprimendas ex cell. Opizii Supplemento ad Dris. Presl. Floram cechicam desumptas; harum adumbrationem ulteriorem mihi cum ceteris pro supplementis reservo, tum denique opus ipsum recepero:

Rosa albiflora Opiz: calycibus ovatis pedunculisque glabris, solitariis, petiolis cauleque aculeis aduncis, foliolis lanceolatis, subtus glanduloso — pubescentibus, serraturis incisis, dupplicato — tenuissime serratis. In Bohemia prope Kuçhelbad. (Sine dubio affinis R. albae.)

Rosa coriacea Opiz: calycibus ovatis pedunculisque glabris, aculeis caulinis aduncis; foliolis ovatis, glanduloso — duplicato serratis, venis subtus petiolisque villosis. In Boh. monte Laurentii. (An de serie R. villosae? Definitio ad affinitatem rite dijudicandam non sufficit.)

Rosa lanceolata Opiz: calycibus ovatis pedunculisque glabris, aculeis caulinis aduncis, foliolis lanceolatis, glanduloso — simpliciter acute serratis, glabris; potiolis pubescentibus. In Boh. Kuchelbad. (Videtur esse de familia R. caninae.)

Rosa pilosa Opiz: calycibus ovatis pedunculisque glabris; aculeis caulinis aduncis; foliolis lato — ovatis, subduplicato — serratis, pilosiusculis, pe-

Digitized by Google

tiolis pilosis. Bohemia. Kuchelbad. (De serie R. villosae.)

Rosa pilosiuscula Opiz: calycibus ovatis pedunculisque glabris, aculeis caulinis aduncis; foliolis ovatis, duplicato — serratis pilosiusculis, coriaceis; petiolis pubescentibus. Boh. Kuchelbad. (a praecedenti parum differre videtur.)

Rosa glaucifolia Opiz. calycibus ovatis pedunculisque glabris, aculeis caulinis aduncis; foliolis late — ovatis, duplicato — serratis, glabris, subtus glaucis, petiolis pubescentibus, glandulosisque; pedunculis aggregatis. Boh. Kuchelbad. (Forte et haec de serie R. villosae? R. coriacea, pilosa, pilosiuscula et glaucifolia, ut animus mihi praesagit, multum se R. Borkhausenii appoximare videntur.)

Cum epistola dicta simul obtinui numerum 12mum Diarii botanici h. a. in quo amicissimus M. Dr. Fried. Nees ab Esenbeck demonstrare contendit, R. tomentosam esse merum R. hispidae Borkh. (R. Borkhausenii m.) Synonimon. Fere consentio. Cum tamen R. tomentosa usquedum fere ab omnibus ut species recepta et divulgata sit, hanc speciem de numero delere nondum audeo. Saltem quaestio prius decidenda est, an R. tomentosa pro Synonimo Rosae Borkhausenii, vel R. Borkhausenii pro Synonimo R. tomentosae declarari debeat?

Nunc tandem circa Varietates rationem reddi-

Digitized by Google

turus sum. Imprimis ipsemet sequentes ut principales et maxime observandas distinxi:

I. Rosa muscosa. 1. multiplex.

II. Rosa centifolia. 1. hortensis. 2. Anglica. 3. Anemonoides. 4. bullata. 5. grandidentata. 6. carnea. 7. mutabilis. 8. bipinnata. 9. caryophyllea.

III. Rosa bifera. 1. Lelieuri. 2. officinalis. 3. alba.

IV. Rosa Damascena. 1. Belgica. 2. coccinea. 3. Aurora. 4. Celsiana. 5. corymbosa. 6. variegata.

V. Rosa Gallica. 1. purpurea velutina. 2. Pontiana. 3. Van Eeden. 4. episcopalis. 5. caerulea. 6. Delphiniana. 7. marmorea. 8. versicolor. 9. officinalis. 10. Agatha.

VI. Rosa humilis. 1. granata. 2. Meldensis.

VII. Rosa pumila. 1. muscosa. 2. Aurelianensis. 3. regalis. 4. daedalea. 5. provincialis. 6. rubrifolia. 7. blanda.

VIII. Rosa Austriaca. 1. multiplex. 2. Dianthiflora.

IX. Rosa Ehrhartiana. 1. muscosa. 2. punicea. 3. minima.

X. Rosa Sinica. 1. inermis. 2. cruenta. 3. formosissima. 4. pannosa. 5. Ternotea.

XI. Rosa Indica. 1. turbinata. 2. fragrans. 3. subalba.

XII. Rosa Laurentiae. 1. subinermis.

XIII. Rosa villosa. 1. semiplena. 2. suberecta.

XIV. Rosa dimorpha. 1. semiplena.

XV. Rosa canina. 1. semiduplex. 2. cerea. 3. Myrtilloides.

XVI. Rosa alba. 1. plena. 2. regalis. 3. cymbaefolia.

Digitized by Google

XVII. Rosa arvensis. 1. Candolleana.
XVIII. Rosa Eglanteria. 1. bicolor.
XIX. Rosa umbellata. 1. Anemoniflora. 2. Elisabethae. 3. crus galli. 4. major. 5. racemosa. 6. muscosa. 7. aucta. 8. triflora. 9. aculeatissima. 10. parvifolia.
XX. Rosa spinosissima. 1. mitis.
XXI. Rosa pimpinellifolia. 1. Mariaeburgensis. 2. inermis. 3. pumila.
XXII. Rosa oxyacantha. 1. multiplex. 2. Decemetiana.
XXIII. Rosa borealis. 1. turbinata.
XXIV. Rosa Hudsoniana. 1. scandens. 2. corymbosa.
XXV. Rosa Carolina. 1. conglobata.
XXVI. Rosa parviflora. 1. plena.
XXVII. Rosa fraxinifolia. 1. parviflora.
XXVIII. Rosa Andreusii. 1. debilis.
XXIX. Rosa Wulfenii. 1. rubra.

Jam sequitur Recensio critica omnium varietatum a cell. Thorio, Rauo et Woodsio ad Rosas centifoliam, biferam, Damascenam, Gallicam, pomponiam, multifloram, Indicam, villosam, tomentosam, collinam, caninam, dumetorum, sepium, sarmentaceam, albam, brevistylam, arvensem, rubiginosam, sempervirentem, Candolleanam, pimpinellifoliam, cinnamomeam, atque alpinam relatarum. Rosae hortorum fere semper sub solis varietatum nominibus venditari consueverunt. Qui vero solum nomen varietatis sciunt, neque illud speciei, ad

Digitized by Google

quam referenda sit, revera nihil sciunt. Idcirco necessarium duxi, hanc varietatum Synopsin conscribere, ne hortorum magnanimi fautores ab avaritia vel vaniloquentia hominum male eruditorum ulterius fraudentur.

Digitized by Google

VARIETATES

R. centifoliae a cell. Thoryo in Red. Ros. T. I. p. 77. commemoratae:

α) flore simplici: ergo planta normalis; v. speciem.
β) flore semipleno: Nouv. Duham. VII. p. 35. var. 2.
γ) flore multiplici: v. singulariter distinctam sub nomine R. cent. hortensis.
δ) maxima: v. Miss Lawr. Ros. tab. 8. (centif. Dutch.) vulgo: Rose de Hollande, Rose des peintres.
ε) minor: Rössig ic. no. 20. Vulgo: Rosier de Bordeaux, Gros pompon. (v. R. humilis Meldensis.) R. de Kingston De Launayi eadem dicitur: v. R. Austriaca multiplex.
ζ) carnea: v. singulariter distinctam.
η) variegata: Miss Lawr. Ros. t. 79. vulgo: R. à cent feuilles panachée.
ϑ) mutabilis: v. singulariter distinctam.
ι) Anglica rubra: v. singulariter distinctam.
κ) putidula: floribus semiplenis, odore cimicino; vulgo: Rire niais de Du Pont, seu Cent feuilles à odeur de punaise.
λ) grandidentata: v. singulariter distinctam.
μ) crenata: foliolis subternatis, rotundis crenatis. R. Belgica. Poiret Encycl. VI. p. 276; 277 et 279. a Thoryo huc ut Synonimon allegata, non ad hanc pertinere potest, quia illi foliola serrata sunt. Synonimon Milleri R. gallica; illud Poiretii R. cen-

Digitized by Google

tifoliam carneam respicere videtur. R. centif. crenata forte plus quam varietas? R. cent. grandidentata fortasse soror ejusdem?

ν) bipinnata: v. singulariter distinctam.

ξ) bullata: v. singulariter distinctam.

ο) foliacea: segmentis calycis amplissimis, foliaceis, urceolo vix ullo. Potius monstrositas, quam varietas.

π) Junonis: Nouv. Duham. var, 16. La belle Junon des pépinières de Sèvres.

ρ) Anemonoides: v. singulariter distinctam.

σ) hoc loco nulla in Thoryi recensione adest varietas.

τ) cariophyllaea: v. singulariter distinctam. Non confundenda cum R. austriaca dianthiflora. An cell. Thory eandem putat, monens, ne confundatur cum R. gallica dianthoidea, hortulanis vulgo Provins oeillet dicta?

υ) prolifera: v. monstrositates.

φ) apetala: v. monstrositates Rosarum.

Huic recensioni cell. Thory sequentem observationem subjungit: „R. centifolia differt a R. Gallica 1mo foliolis mollibus, quodammodo pendulis, margine semper glandulosis, sat grosse dentatis (foliola R. Gallicae sunt firmiora et quasi fragilia, multo tenerius serrulata, subtus subalbida, et margine vix glandulosa) 2do petiolis hispidis semper inermibus (petioli R. Gallicae semper plus minus aculeati sunt.)“

Digitized by Google

VARIETATES
R. biferae a cell. Thoryo consignatae:

Adnot. R. bifera, Damascena, Gallica, muscosa et centifolia sunt sibi adeo affines, ut, si illas jure specifico donamus, non sine iniquitate vel contradictione possimus R. arvinam, sylvaticam, pygmaeam, livescentem, humilem atque austriacam respuere. Hoc, rogo, velint lectores memoriae commendare! Non potui vel non ausus sum abrogare species quinque ab initio commemoratas. Ne itaque inaequalitas et ex hac perturbatio oriatur, debui species ad aequalia principia assumere, ad quorum normam priores illae statutae fuerunt! Si tandem varietates et subvarietates talium specierum in hortis coluntur, penitus contra voluntatem coacti sumus, easdem in censu specierum enumerare, vel, potius dicendo, illarum restrictionem posteritati reservare. T.

α) vulgaris: floribus corymbosis strictis. Cum planta normalis nondum observata habeatur, haec loco illius in opere descripta fuit. v. R. bifera.

β) alba: v. singulariter distinctam.

γ) officinalis: v. singul. distinctam.

δ) aurantia: differt a R. bif. vulgari floribus majoribus, petalisque e roseo et citrino variis. In horto regio Luciburgensi, ubi primum enata fuit, appellatur Rose Semonville.

His addenda R. bifera Lelieuri, quam v. singulariter distinctam.

Digitized by Google

VARIETATES

R. Damascenae a cell. Thoryo apud Redouteum conscriptae:

α) subalba: specimen normale! v. speciem.
β) Celsiana: v. singulariter distinctam.
γ) perpetua: Semperflorens; frutex humilis; pedunculi solitarii, brevissimi; corolla 8—10 petala rosea; varietas admodum rara.
δ) coccinea: v. sing. distinctam.
ε) Aurora: v. singulariter distinctam.
ζ) carnea: floribus plenis, urceolis ovatis turgidis. Flores in peripheria albidi, centro incarnati. v. Rössig. Beschreib. I. 48. R. centifolia belgica. Poiret Enc. VI. var. 8. vulgo: Rosier Belgique, la Belgique argentée, la Belg. incarnate.
η) corymbosa: Flores dilute rosei. habetur subvarietas foliolis variegatis. Vulgo R. de Damas en corymbe. Anglis: Maiden's Blush.
ϑ) Italica: Frutex humilis; foliola ovata, acuta; flores rosei plerumque male explicati.
ι) felicitas: flores albo et roseo variegati, nunquam unicolores. Planta facillime degenerat in statum primitivum.
κ) variegata: v. singulariter distinctam.

Digitized by Google

VARIETATES

R. Gallicae maxime observandae, a cell. Thoryo enumeratae:

NB. Plures harum fortasse potius ad alias species, v. gr. ad R. austriacam, arvinam, pygmaeam, livescentem etc. reducendae forent. Sed haec reductio ipsa subsequis observatoribus reservari debet, cum mihi non pateat facultas sufficientes comparationes instituendi. T.

α) simplex Planta normalis, v. R. Gallica. Habitare dicitur in Hispania.

β) semiplena. v. Andr. Ros. f. 6. s. n. R. provincialis blanda. Petala pallide rosea expansa. (Haec nobis est R. pumila blanda.)

γ) nitida caule subinermi, petalis nitidis, floribus roseis semiplenis. Potius varietas R. pumilae.

δ) granata: v. singulariter distinctam: sub noe. R. humilis granata.

ε) regalis: v. sing. distinctam sub noe: R. pumila regalis.

ζ) Bourbonia: fl. semipl. carmineo, cal. pinnato, fol. petiolisque glabris, caule parum aculeato. v. Röss. Beschr. d. R. II. p. 28. no. 12. R. formosa Röss. Ic. no. 50. Dicitur etiam R. pivoine i. e. Paeonia.

η) papaverina. Rössig. ic. no. 31. datur subvarietas paeonina dicta, pallide rosea: pertinet ad R. pumilam.

Digitized by Google

ϑ) mirabilis. R. superbissima Rössig. Ic. no. 45. R. provincialis multiplex. Andr. Ros. fasc. 3. (R. pumila provincialis. v. singul. distinctam. T.)

ι) argentea. R. provincialis alba. Röss. Beschr. II. p. 42. Andr. R. f. 2. (Haec autem est R. centifolia mutabilis. T.)

κ) multiflora. R. gall. polyanthos Röss. ic. no. 35. huc ut subvarietates referendae sic dictae Rosae Sti. Francisci, Grand Monarque, l'Aimable rouge, le Carmin brillant, le lustre d'église, le manteau pourpre etc.

λ) Cerasina. semiduplex, petalis colore cerasino. Nouv. Duham. VII. p. 42. v. 7.

μ) terminalis: Color florum cum faecibus vini rubri comparatur. R. belgica pyramidalis. Röss. Beschr. I. 67. Nouv. Duh. VII. 43. v. 17.

ν) Maheka; flore subsimplici, foliolis subrotundis, caule subinermi. v. Red. Ros. III. p. 78. c. ic.

ξ) mutabilis; flore multiplici; cremesina; etiam Maheka, Rose du Sérail, et R. Sultana vocatur. Nouv. Duh. VII. 43. v. 16.

ο) materfamilias. Nouv. Duham. VII. 43. v. 14. R. provincialis prolifera. Röss. Beschr. I. 58. Miss. Lawr. t. 43. petala cremesina.

π) debilis. Nouv. Duham. VII. p. 43. v. 19. petala saturate purpurea.

ρ) Pontiana. v. singulariter distinctam.

σ) sanguinea simplex; petala purpurea Röss. ic. no. 36. R. pumila.

Digitized by Google

τ) officinalis. Andrews Ros. fasc. 3. R. gallica maxima. Röss. ic. no. 46. v. singulariter distinctam.

υ) Ranunculus: sanguinea ranunculiformis. Röss. ic. no. 36.

φ) aquila nigra; profunde purpurea. Nouv. Duham. VII. 43. v. 18.

χ) plena subnigra. atropurpurea. Nouv. Duham. VII. 42. v. 8. R. holosericea regalis. Röss. ic. no. 49. plures subvarietates vix distinguendae veluti: R. Negrette etc.

ψ) episcopalis. v. singulariter distinctam.

ω) purpurea velutina. Nouv. Duham. VII. 41. v. 6. R. purpurea nigricans holosericea plena. Röss. ic. no. 22. Ej. Beschr. p. 94. 95. La belle Velotée pourpre. v. singul. distinctam.

αα) atropurpurea velutina Nouv. Duham. VII. 41. v. 5. R. sanguinea Röss. ic. no. 28. R. nigra. R. Plutonis Miss. Lawr. t. 39. cum pluribus subvarietatibus e. gr. Velours — pourpre, la belle Violette foncée, la Violette prolifère, la Noire couronnée, la Superbe en brun, le Pourpre charmant. Vid. etiam Andr. Ros. f. 34. R. centifoliae varr. subnigrae.

ββ) versicolor. v. singulariter distinctam. Hanc cell. Steudel in Nomencl. botan. p. 698. inter varietates R. austriacae numerat, quod tamen minus rectum videtur.

γγ) Meleagris: rosea, albo-punctata. Nouv. Duham. VII. p. 41. v. 2. vulgo: La Pintade.

Digitized by Google

δδ) marmorea. Röss. ic. no. 26. Miss. Lawr. Ros. t. 57. Andr. Ros. fasc. 6.

εε) Basilica: petalis striatis albo et rubro variis. v. Röss. Beschr. I. 184. huc ut subvarietas a Thoryo reducitur R. gallica caerulea, de qua v. distinct. singularem.

ζζ) pumila. Cell. Thory hoc loco plantas normales et varietates specierum diversarum ut varietates R. gallicae allegat, scilicet R. pumilam, R. austriacam, R. humilem, et tandem R. hybridam, quod confusionem inducere posset. Sane si R. gallica pro specie sumitur, tunc R. pumila, austriaca etc. sunt aliae; si non, tunc R. pumila sola et unica species est in hac tota serie, et cum R. gallica ipsa, etiam R. muscosa, damascena, centifolia, bifera, et omnes reliquae merae R. pumilae varietates dicendae. Nos interea ad analogiae cum ceteris normam has species omnes discernimus. Ad quam vero ex istis Thoryi subvarietates, Superbe renommée, Violette agréable, Le petit serment, Rouge favorite, Mignonne cendrée, et la Pucelle pertineant, aliis decidendum relinquo.

ηη) Agatha. Nouv. Duham. VII. p. 43. v. 15. plenissima, explanata, intense rosea, petalis in centro convolutis et laceris. Plures habentur subvarietates, veluti R. g. Agathe royale, Ag. prolifere, la précieuse, L' Ag. de Francfort, etc.

Digitized by Google

VARIETATES

R. pomponiae cell. Thory apud Redouteum in Ros. T. II. p. 57. enumerat sequentes:

α) flore subsimplici: Cum planta normalis nondum observata sit, hujus loco praesentem ut proximam considerare oportet. V. R. pomponia.

β) Burgundiaca: floribus parvis, plenis roseis R. centifoliae more convolutis. Haec varietas, de ceteris maxime divulgata, bene distinguenda est a R. Burgundiaca Röss., quae R. parvifolia Ehrh., nobis R. Ehrhartiana est.

γ) bicolor: Flores minimi, pleni, convoluti, petalis exterioribus fere albis, centralibus roseis.

δ) variegata: floribus albo et roseo variegatis.

ε) foliacea: germinibus (urceolis) subglabris, laciniis calycinis foliaceis. Frutex prioribus altior, ingenti florum numero et calycis laciniis distinctissimus. Vulgo: Pompon mignon, seu Mignon charmante.

ζ) Remensis: (ceterae literae intermediae l. c. deficiunt). Haec nostra R. Ehrhartiana est.

Tandem praetereundo cell. Thory l. c. mentionem facit R. hybridae de R. alba et R. Gallica, quae in Gallia sub nomine Pompon blanc divenditur. Flores utique majores quam in R. pomponia

Digitized by Google

vulgari, ab initio rosei sunt, sed aperti citissime albescunt, explicantur et globum quodammodo niveum repraesentant, quem Thory cum inflorescentia Viburni Opuli comparat, et dicit se ex eadem causa huic plantae nomen Rosae Viburni dedisse.

Digitized by Google

Ad R. MULTIFLORAM

Thory in Red. Ros. II. 70. sequentes connumerat varietates:

α) flore simplici: planta normalis! Existit in horto Pharmacopaeorum Londinensium.

β) Thunbergiana: Est species distincta. v. R. Thunbergii.

γ) carnea. Est planta a nobis descripta. v. speciem.

δ) platyphylla: est nobis R. Thoryi. Species pulcherrima, sufficienter distincta.

Digitized by Google

VARIETATES

R. Indicae, in eo scilicet sensu, quo cell. Thory (ap. Red. in Ros. T. II. p. 37. R. Indicam definit, nempe unitam cum R. Sinica, Chinensi, longifolia etc.)

α) Linneana: Haec est R. Sinica L. v. R. Sinica. Subvarietatem cell. Thory nominat, dentibus foliolorum remotis.

β) paniculata: insignis varietas R. Sinicae, paniculis multifloris pulcherrime purpureis.

γ) cruenta: v. singulariter distinctam sub nomine R. Sinicae cruentae.

δ) chremesina: Flores coccinei, saepissime solitarii; foliola xerampelino-marginata. Vulgo Bengale cremoisie. Plurimae habentur subvarietates, inter quas Bengale violette dicta primaria est; etiam monstrositas prolifera. Pertinet ad R. Sinicam.

ε) subinermis: 3 — 4 flores in ramulorum extremitatibus. Var: R. Sinicae.

ζ) cerasi coloris: vulgo Bengale ceris: non differt a praecedenti nisi caule aculeato, et petalis minus saturate purpureis unguibus albidis.

η) rosea flore simplici: Haec est R. Indica normalis: v. R. Indica.

ϑ) vulgaris: est prior semiplena. vulgo: Bengale semidouble.

Digitized by Google

ι) multipetala: v. singulariter distinctàm sub nomine R. Indica turbinata.

κ) dichotoma: pedunculi dichotomi. Vulgo: R. Animating, Bengale animée, Bengale dichotome. An hujus loci R. ind. purpurea Andr. Ros. fasc. 29. Anglis vulgo: Blue Rose?

λ) fragrans: v. singulariter distinctam sub nomine: R. Indica fragrans.

μ) acuminata: hanc ut speciem propriam distinguo; v. R. acuminata.

ν) pumila: haec mihi Synonimon R. Laurentiae est. v. R. Laurentiae.

ξ) pumila multiplex: v. singul. distinctam s. n. R. Laurentiae subinermis.

ο) longifolia: v. R. longifolia.

π) Lawrenciana: v. R. Laurentiae.

ρ) sertulata: floribus multipetalis pallidissime roseis corymbosis. Nata in horto Trianon, ubi R. Bengale à bouquets vocatur.

σ) subalba: v. singulariter distinctam. vulgo: Bengale de Cels. Bengale unique, Bengale blanche.

τ) pannosa: v. singulariter distinctam sub nomine R. Sinicae pannosae.

υ) variegata: petala maculata maculis profunde purpureis et hinc inde etiam albis; vulgo: Bengale panachée, vel Bengale tigrée. Var. R. Indicae. Andrew in Ros. fasc. 29. habet varietatem, variegatam dictam, sed non talem; hujus enim petala alba roseo striata vel potius radiata sunt.

Digitized by Google

UT VARIETATES

R. villosae cell. Rau in Enum. Ros. p. 150 — 156. profert sequentes:

α) vulgaris — utique species, nec varietas.

β) mollissima: v. R. mollissimam specifice distinctam.

γ) minuta Rau. calycis tubo (urceolo) subgloboso pedunculisque hispidis; foliolis oblongo — ovatis fructuque duplo minoribus. Hanc penitius cognoscere intime desiderarem.

Cell. Woods alias tres hujus speciei varietates l. c. designat, scil.

α) caeruleam: fructibus pedunculisque fere glabris, sarmentis caeruleo — pruinosis, foliolis glaucescentibus admodum glandulosis, bracteis minoribus, habitu graciliori.

β) concavifoliam: foliola concava, pilosa; bracteae ovato-lanceolatae, urceolus globosus.

γ) suberecta: v. singulariter distinctam.

Digitized by Google

VARIETATES

R. tomentosae juxta Woodsii commentationem in Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 113 — 117.

α) pagina superiore foliolorum glaberrima.

β) foliolis utrinque glabris.

γ) foliolis subrotundis, supra subpilosis, subtus parce glandulosis pilosisque; nervis tomentosis; petalis albis; segmentis cal. in floribus primariis simplicissimis, linearibus, tandem patentissimis.

δ) fructu fere globoso; urceolo saepe elliptico; pedunculis bracteas excedentibus 1 — 9 umbellatis; petalis saturate roseis, basi albis; aculeis falcatis, foliolis mollissimis, praeter nervos et serraturas eglandulosis.

ε) hybrida: foliolis supra viridibus, subtus pilosis et glanduloso-scabris; urceolis pedunculisque hispidis; aculeis falcatis. An species distincta?

ζ) urceolo magno olivaceo, basi attenuato pedunculis minus hispido; setis gracilibus pedunculorum 1 — 4; foliolis scabris, junioribus eglandulosis mollibus, tomentosis; aculeis ramorum adultiorum rectis; juniorum aduncis. An potius varietas R. micranthae?

η) urceolo elliptico, pedunculoque hispido, pedunculis saepe bracteas superantibus; foliolis dense tomentosis, subtus glandulosis.

Digitized by Google

ϑ) sylvestris: urceolo oblongo-elliptico, pedunculoque hispido; pedunculis a bracteis superatis, aculeis falcatis; foliolis angustioribus quam in R. tomentosa vulgari, supra scabriusculis, subtus glanduloso-villosis, sarmentis atropurpureis. An potius var. R. scabriusculae?

ι) canescens: urceolo turgide elliptico, fere glabro, aculeis gracilibus, fere rectis; segmentis calycinis pinnatifidis, saepe foliosis; foliolis ellipticis oblongis concavis, mollissimis, utrinque albotomentosis, subtus glandulosis. An forte R. incana Kit.?

κ) urceolo turgide elliptico, basi parumper attenuato, minus hispido quam pedunculo; aculeis falcatis: sequenti simillima.

λ) pedunculis bracteis aequalibus vel longioribus, urceolo hispiditate pedunculis aequali, basi plerumque attenuato: laciniae segmentorum calycis brevissimae, latae; petala alba rubro sriata; foliola concava.

μ) urceolo elliptico utrinque attenuato, pedunculis bracteis longioribus; aculeis falcatis; foliolis vulgari angustioribus, supra pilosiusculis, subtus glanduloso-villosis. Videtur potius ad R. micrantham pertinere.

ν) a praecedenti sola glandularum minori copia differt.

ξ) incana: urceolo elliptico glabro; segment. cal. tomentosis, eglandulosis; pedunculorum pilis

Digitized by Google

sparsis; aculeis falcatis; sarmentis purpureo-incanis; foliolis vulgari angustioribus, scabris, eglandulosis, sed minus incanis quam in varietate *a*; stipulis pariter tomentosis, eglandulosis. Videtur ad R. incanam Kit. spectare.

Si forte identitas R. tomentosae cum R. Borkhausenii, quam ill. Nees ab Esenbeck nuperrime declaravit, sensu communi affirmetur, istae varietates quoque Rosae Borkhausenii tribuendae erunt.

Digitized by Google

RECENSIO VARIETATUM

R. collinae ad mentem cell. Thoryi in Red. Ros. Tom. II. p. 13.

α) vera: scil. planta normalis! v. speciem.

β) fastigiata: hanc dedi ut speciem (v. R. fastigiata); tantum enim differt a R. collina, quantum ceterae species proxime affines. De transmutationibus talium specierum deficiunt hoc tempore observationes sufficientes. Forte haec species iterum redit ad statum R. collinae. Sed forte totidem aliae, quas omnes suscipimus. Donec ergo hic reditus demonstratus fuerit, melius erit varietatem loco speciei observare quam periculum incurrere speciem pro varietate habitam obliviscendi.

γ) pilosiuscula: abest descriptio characteristica.

δ) glabra: est R. foetida.

ε) decipiens: sine omni nota mihi aliena.

ζ) dumetorum: est R. dumetorum. Thory R. platyphyllam ut subvarietatem hujus (l. c.) considerat. Decidant alii! v. R. platyphylla.

η) mollis: desideratur nota characteristica.

ϑ) microcarpa: non nosco hanc varietatem; interea certus sum, quod cell. Thory non putet R. microcarpam Thunbergii, quae planta Sibirica, neque R. microcarpam Besseri (nobis R. Besseri!) quae utique de serie R. pimpinellifoliae est.

Digitized by Google

c) subvillosa: desideratur nota characteristica.

Cell. Thory ut characteres principales pro distinctione specifica R. collinae statuit foliola simpliciter serrata, supra glabra, subtus et margine tomentosa. Porro ad ipsius observationem a R. collina facile distinguuntur: *a*) R. canina foliolis magis rotundatis, utrinque glabris, nonnunquam biserratis. *b*) R. villosa foliolis utrinque tomentosis; *c*) R. Andegavensis urceolis hispidis et foliolis glabris; *d*) R. montana foliolis duplicato-serratis, subtus glabris, margine glandulosis; tandem *e*) R. sepium foliolis duplicato-serratis, subtus et margine glandulosis, ceterum minoribus.

Digitized by Google

UT R. COLLINAE VARIETATES cell. Woods sequentes considerat:

α) pallescens: Frutex 6 — 8 pedalis, aculei saepe solitarii vel binato-stipulares; foliola enormiter sed nunquam duplicato-serrata, subtus hirsuta, supra glabra glauca et nitoris expertia; pedunculi 1 — 5 glabri bracteis breviores. Urceolus ellipticus glaber. Corollae planiusculae pallide rubescentes. Fructus ellipticus.

β) dumetorum Lam. et Dec. fl. fr. VI. 534. Caulibus magis robustis; foliolis supra nitidis concaviusculis; serraturis apice fusco-cartilagineis. Urceolus ventricosus; flores albi aut saturate rosei; fructus saepe globosi.

γ) frutex frondosus 3—4 pedalis, foliolis angustis, acutissimis, subtus velutinis.

Digitized by Google

VARIETATES

quae a cell. Thoryo R. caninae tribuuntur:

α) globosa: scilicet fructu globoso. Haec saltem non planta normalis est, cum R. canina usquedum ab omnibus auctoribus classicis seriei urceolis et fructibus ovatis subordinata fuerat.

β) glauca: dicitur, non esse R. glaucam Lois. (seu potius Villarsii, v. R. glauca Vill.) nec R. glaucam Desfont. Debet itaque R. canina esse, solummodo foliis glaucis et urceolis globosis distincta. Subvarietas commemoratur foliolis minoribus, et minus glaucis.

γ) biserrata: v. speciem: R. biserrata, in serie R. rubiginosae.

δ) ramosissima: priores tres habuerunt urceolos globosos glabros, quae nunc veniunt, ovatis distinguuntur. Praesens, ut planta Linneana, pro normali declaranda est. Rauo haec β est.

ε) vulgaris Rau: petiolis glabris, stipulis margine subglandulosis, foliolis subsimpliciter serratis.

ζ) microcarpa: omni nota deficiente de hac judicare nequeo: itaque hoc solum moneo, R. caninam microcarpam caute distinguendam esse a R. collina microcarpa, a R. microcarpa in speciebus et a R. microcarpa Besseri, quae nobis R. Besseri est.

Digitized by Google

η) alba: pedunculis elongatis; petiolis basi subpubescentibus, aculeatis, foliolis laete virentibus, floribus albis. Thory.

θ) nitens: citatur R. dumalis, quae nobis species est, et cujus descriptio cum icone R. can. nitentis in Redouteo non consentit. v. R. dumalis.

ι) umbellata: petiolis glanduloso-hispidis, aculeatis; floribus pallide rubellis subumbellatis; pedunculis glabris. Habitu similis R. collinae fastigiatae, (scilicet R. fastigiatae: v. species.) Thory. Noli confundere cum R. umbellata, specie de serie rubiginosarum.

κ) sessilis: petiolis subglabris, aculeatis, floribus 3 — 5 subsessilibus, confertis, ex albo roseis. Thory. Optanda esset descriptio.

λ) subrotundifolia: foliolis elliptico-rotundis; pedunculis hispidis, aut glabris. Thory.

μ) ovoidalis: pedunculis hispidis.

ν) glandulosa: Nobis distincta species; v. R. dumalis. Thory hoc loco citat Raui var. γ. p. 75. sed Raui var. γ. est R. dumalis Bechst., quam mox antea Thory ad R. can. nitentem citavit. Ingenue fateor, me in hoc complicato discrimine non alium videre finem, quam suppositionem, quod Synonimon R. dumalis ad R. can. nitentem per errorem allegatum fuerit?

ξ) lanceolata: omnis deest nota.

Cell. Rau (v. Ej. En. Ros. p. 71 — 77.) quatuor enumerat R. caninae varietates scil. α vul-

Digitized by Google

garem (Thoryo var. ε.) β. ramosissimam (Thoryo var. δ.) γ. glandulosam (Thoryo var. ι.) quae R. dumalis est. δ. squarrosam: petiolis nervoque primario glandulosis; aculeis rectiusculis validis confertissimis; foliolis duplicato - serratis. Haec vix alià quam nostra R. canina myrtilloides: v. singulariter distinctam.

Digitized by Google

AD R. CANINAM

cell. Woods sequentes refert varietates:

α) cerea: v. singulariter distinctam.

β) glandulifera: pedunculo, urceolo, segmentisque calycis glandulosis vel glanduloso-pilosis; foliolis nonnunquam angustioribus.

γ) ramis stipulis petiolisque atro-purpureis.

δ) urceolo subgloboso, foliolis lanceolato-ovatis, acutis; serraturis maxime irregularibus, glandulosis. Forte ad R. surculosam pertinet.

ε) simpliciuscula: Segmenta calycina subsimplicia: habitus aberrans.

Digitized by Google

DE R. DUMETORUM

cell. Woods duas a se observatas sequentes indicat varietates:

α) habitu fortiori, aculeis robustioribus; appendicibus segmentorum angustioribus; cyma multiflora: accedit ad R. surculosam.

β) foliolis obscure virentibus nitidis, longioribus; bracteis exiguis, aculeis minutis, habitu debili, ceterum dissimili.

Digitized by Google

A THORYO

in Red. Ros. T. II. p. 61. sequentes consignantur R. sepium varietates:

α) rosea: haec nobis loco plantae normalis est. v. R. sepium.

β) parviflora: planta, quam nondum nosco, et quae majori attentione digna videtur. Fruticulus sesquipedalis, floribus exiguis.

γ) alba: Species aperte distincta et penitus alterius sectionis. v. R. agrestis.

δ) myrtifolia: foliolis parvis, ellipticis, supra lucidis, floribus pallide roseis, saepe solitariis. An mera varietas? v. Red. Ros. III. p. 51. c. ic.

ε) oleicarpa: diversa nervis foliolorum maxime eminentibus, et fructibus olivae mediocri perfecte (praeter colorem?) similibus.

ζ) ambigua: pedunculis subhispidis.

η) latifolia: foliolis magnis, remotis, grandidentatis, basi acutis, apice subrotundis; floribus ex albo-roseis, cyma trifida. Hab. in Gallia et verosimiliter distincta species.

Tandem cell. Redoutée l. c. ad pag. 107. exhibuit varietatem pulcherrimam floribus plenis, convolutis, roseis, brevissime pedunculatis, et fere conglommeratis, magnitudine R. pomponiae.

Digitized by Google

AD R. SARMENTACEAM

cell. Woods sequentes connumerat varietates:

α) nitens: foliolis non pruinosis, sed nitidis, viridissimis; pedunculis saepius subhispidis.

β) nana: habitu laxo, debili; folia plerumque bijuga, foliolis elliptico-lanceolatis, vel lanceolatis, serraturis angustioribus, longioribus; segmentis calycinis latioribus. Ad nostram R. caninam myrtilloidem accedit!

γ) planta magna, urceolo fructuque subgloboso; segment. cal. saepe glandulosis.

δ) floribus minimis, habitu R. caesiae simili.

ε) magna, tenuis, floribus constanter solitariis; urceolis fere ellipticis.

Digitized by Google

VARIETATES

R. albae a Thoryo recensitae.

α) flore simplici: ergo planta normalis, nec varietas! figura optima in Andrews Roses fasc. 15. v. R. alba.

β) humilis: est species propria! v. R. geminata in serie R. caninae.

γ) flore pleno: v. singulariter descriptam sub nomine R. albae plenae.

δ) coelestis; seu caerulescens: haec varietas a Thoryo ipso ut mere imaginata denegatur.

ε) regalis: v. singulariter distinctam.

ζ) incarnata: floribus plenis, centro carneis, extus et circumferentia albis, petalis nonnunquam ungue luride flavescentibus. In hortis nota sub nomine Cuisse de Nymphe. Odor fere Hyssopi. v. Pers. Syn. II. p. 49.

η) corymbosa: floribus plenis mediocriter magnis, subconvolutis, petalis centri luride flavicantibus s. colore pisi maturi. Frutex biorgialis, saepius bis florens, fertilissimus. Flores odore Genistae junceae.

ϑ) carnea plena: Cymae multiflorae, flores maximi, pleni: in hortis exstat sub nomine: Belle Elise.

ι) rosea: floribus plenis maximis petalis exterioribus albis, interioribus roseis; ramulis parum aculeatis; vulgo: la beauté tendre; l'Élisa.

Digitized by Google

κ) cymbaefolia: v. singulariter descriptam.

λ) inermis: corolla semi-duplex, petala alba, centro viridula: aculei pauci, vel nulli; vulgo: Rosier blanc à coeur vert. In pluribus quidem momentis hae notae conveniunt cum R. glabra Andr. sed haec certe non potest esse varietas R. albae, sed potius R. cinnamomeae affinis est: v. R. glabra. Ad ipsius enim Thoryi sententiam character principalis R. albae consistit in foliolis ovatis simpliciter serratis, subtus pubescentibus, et in urceolis basi abrupte rotundatis. An potius huc referenda R. alba semiduplex Andr. Ros. fasc. 13.

Digitized by Google

VARIETATES

R. brevistylae a cell. Thoryo consignatae:

α) leucochroa: haec species normalis est in opere descripta: v. R. brevistyla.

β) lactea; solummodo petalis pure lacteis distinguitur.

γ) systyla: differt floribus pallide roseis; hanc Redoutei opus T. III. sub nomine R. stylosae exhibet.

Digitized by Google

VARIETATES

R. arvensis secundum Synopsin cell. Thoryi in Red. Ros. T. I. pag. 90.

α) globosa; scil. fructu globoso! — Cum fructus in eadem planta sint varii, quemadmodum ex descriptione speciei palam est, vix varietas dici meretur.

β) ovata; scil. fructu ovato, seu potius elliptico; potius planta normalis, nisi specimina foliolis subtus pubescentibus pro varietate sumantur.

γ) bibracteata: v. R. bibracteata! specie distinguendam putavi ad auctoritatem De Candollii.

δ) glabra: v. R. leucantha. Planta toties translata et nomini alienata optime locum proprium obtinere videbatur; et quidem ad auctoritatem ipsius Thoryi. T. I. p. 129.

ε) flagelliformis: non intelligo diversitatem a statu normali, nisi forte floribus subincarnatis.

ζ) prostrata: differt foliolis persistentibus uti in R. sempervirente.

Digitized by Google

VARIETATES

R. rubiginosae a cell. Thoryo huc relatae.

α) vulgaris: ergó normalis!

β) olivina: urceolo parvo olivaeformi; repetitis observationibus illustranda.

γ) Cretica: v. R. Cretica. Si R. Creticam nollemus ut speciem discernere, tunc profecto nulla alia in tota serie hujus Rosae superstes manere posset; aequali judicio species restringendo, non plures manerent totius generis species quam nunc sunt series: cum vero in aliis generibus non idem rigor adhibitus fuerit, melius consultum duxi, differentias tales, quales sunt istae inter Rosas rubiginosam, umbellatam, ferocem, myriacantham, Creticam etc. pro specificis declarare.

δ) semiplena: v. singulariter distinctam sub n. R. umbellatae auctae. Synonimon Andrewsii non ad hanc, sed ad R. umbellatam orus galli pertinet.

ε) flore multiplici: v. R. umbellata racemosa.

ζ) marmorea: est subvarietas R. umbellatae majoris: v. R. umbellata major.

η) muscosa: est iterum varietas R. umbellatae: v. sing. dist.

ϑ) major: v. R. umbellata major.

ι) vera: est R. umbellata, planta normalis; v. R. umbellata.

κ) triflora: R. rubiginosa dubia Désv. v. singulariter descriptam sub nomine R. umbellatae trifloraе.

Digitized by Google

λ) tenuiglandulosa: (R. tenuiglandulosa Merat. fl. d. Par. p. 189. R. fallax Désv. Flores minimi, saepe solitarii. An eadem ac nostra R. Libertiana?

μ) microcarpa: Désv. scil. fructibus exiguis; mihi non cognita: nec R. microcarpa Thunb.

ν) rotundifolia: v. R. rotundifolia.

ξ) Isaurae: v. R. Isaurae.

ο) glabra: calycis tubo subgloboso, pedunculisque glabris, foliolis obovatis, duplo minoribus, subtus undique resinoso-rubiginosis. Rau. Enum. p. 137. Videtur potius ad R. umbellatam spectare.

π) Zabeth: v. singulariter distinctam sub nomine: R. umbellatae Elisabethae.

Digitized by Google

R. SEMPERVIRENTIS

varietates ad mentem cell. Thoryi. (v. Red. Ros. T. II. p. 16.)

α) globosa: Planta normalis! Synonima hoc loco allegata non omnia huc pertinent: v. R. sempervirens.

β) microphylla: non modo foliola, sed et flores multo minores sunt. Frutex scandens minor. Cell. Prof. De Candolle illum detexit in territorio Monspessulano.

γ) latifolia: hanc distinxi ut speciem; v. R. Broteri.

δ) ovoidea: fructibus ovatis: vulgo Rosier de Mahon. R. atrovirens Viviani. An mera varietas?

Digitized by Google

THORYO

sic dictae varietates R. Candolleanae:

α) elegans: planta normalis; v. R. Candolleana. Hanc a R. villosa (R. hispida Poir.) discernere penitus supervacaneum duco, cum ne quidem ad eandem sectionem pertineat.

β) pendula: germinibus (urceolis) ovatis, glabris; pedunculis subhispidis; foliolis ellipticis pallide virescentibus, subconcoloribus; fructibus subglobosis, pendulis. Thory in Red. Ros. II. p. 46. Differt foliolis multo majoribus, petalis roseis, et fructibus pendulis. Ramuli multiflori, foliola duplicato-serrata, et calycis segmenta corolla, ante expansionem, longiora eandem secernunt a R. pimpinellifolia et myriacantha. Thory. Videtur species distincta, observationi ulteriori optime commendanda.

γ) flavescens: germinibus (urceolis) obovatis turgidis pedunculisque glabris; foliolis supra glabris, subtus subpubescentibus; petalis pallide flavescentibus. Thory. l. c. Satis et nimium diversa a R. Candolleana; an non forte et haec ut Synonimon ad R. pallidam spectat? T.

Digitized by Google

VARIETATES

R. pimpinellifoliae a cell. Thoryo in Redoutei Monographia de Rosis propositae:

NB. Quod non omnes harum pro R. pimpinellifoliae varietatibus, sed partim pro speciebus propriis partim pro varietatibus aliarum specierum agnoscam, ex opere ipso Lectores videbunt. Interea mea hujus rei intuitio ante approbationis publicae auctoritatem nil nisi consilium, et nullo modo legalis est. Oportet itaque etiam contrariam sententiam allegare, ut veritas eo clarior tantoque prius possit erui et confirmari pro omni tempore. T.

α) pimpinellifolia L. Sp. pl. 703. et Willd. Sp. pl. II. 1067. Hujus ut Synonimon subjungit R. spinosissimam L. Spec. 705. quae vero ad testimonium cell. Pr. Wahlenberg nostra R. cinnamomea est. Quid de R. spinosissima aliorum sentiamus, ex opere ipso abunde patet. Nos suscepimus R. spinosissimam Jacquini, speciem hoc nomine trivialı dignissimam, et ab omnibus aliis distinctissimam.

β) pimpinellifolia pumila: v. singulariter distinctam.

γ) pimpinellifolia involuta. Hanc non modo ut speciem distinctam agnovimus, (v. R. involutam!) sed et in aliam seriem, nempe illam R. villosae transferendam existimavimus.

δ) pimpinellifolia Mariaeburgensis: v. singulariter distinctam.

Digitized by Google

ε) pimpinellifolia altaica: v. R. altaica. Species omnino diversa.

ζ) pimpinellifolia inermis: v. singulariter distinctam.

η) pimpinellifolia floribus variegatis: Non mihi occasio fuit, hasce Rosas, quarum Synonima cell. Thory huc refert, sufficienter considerandi et comparandi: sed duas saltem (R. borealem et R. versicolorem) distinxi ut novas species.

ϑ) pimpinellifolia flore multiplici. Duas usquedum jam exhibuit sic dictas varietates R. pimpinellifoliae flore multiplici, quae autem ambae ad R. oxyacantham M. B. respiciunt, neque ad R. pimpinellifoliam (v. varietates singulariter distinctas R. oxyacanthae!). Quod autem sic dictam R. spinosissimam nanam Andreusii adtinet, haec nil nisi varietas turbinata nostrae R. borealis est.

Digitized by Google

VARIETATES

R. cinnamomeae, quas cell. Thory apud Redouteum pro talibus venditat.

α) flore simplici: v. R. fastuosam!

β) flore pleno: hanc dicit a priori nullo alio momento nisi floribus plenis differre. Cum tamen icones comparamus v. g. illas Redoutei, Andreusii, Rössigii, Guimpelii aliasque, sat notabiles observamus diversitates in ramificatione, in foliolis et in floribus. v. R. cinnamomea!

γ) rubrifolia: R. rubrifoliam exposuimus ut speciem singularem, et sine haesitatione etiam nunc pro tali declaramus: R. rubrifolia a R. cinnamomea serie differt, et si omnes ejusdem seriei, ad quam R. cinnamomea relata fuit, in unam speciem coadunarentur, tunc R. rubrifolia nihilominus persisteret ut species distinctissima. Plurimae hanc sententiam auctoritates confirmant, veluti Jacquini, Willdenowii, Aitoni, Decandollii etc.

δ) glauca: Hanc speciem utpote nondum sufficienter descriptam et nobis imperfecte cognitam dedimus in serie dubiosarum. Si forte jus specificum olim amitteret, tunc ut varietas deberet reduci ad R. rubrifoliam, nunquam ad R. cinnamomeam.

ε) majalis: v. singulariter distinctam.

ζ) blanda: v. R. blanda in speciebus. Sub caulibus

Digitized by Google

adultis non possum intelligere ramos floriferos! — R. blanda ad sinum Hudsonis habitans datur pro varietate Rosae europaeae! Si hoc valet, tunc etiam R. Redoutea est varietas R. pimpinellifoliae!

γ) fluvialis: v. singulariter distinctam speciem! Cell. Rau (v. En. Ros. p. 53.) duas enumerat varietates: α majalem, petiolis inermibus, et β foecundissimam, petiolis aculeatis. Prior nostra R. majalis, posterior R. cinnamomea est.

Digitized by Google

THORY

sequentes sunt R. alpinae varietates:

α) globosa: Si, uti ex Synonimis allegatis patet, huc R. pyrenaica spectat, eadem est ac species nostra: v. R. Pyrenaica.

β) laevis: v. R. fraxinifolia.

γ) flore variegato: floribus parvulis, petalis amoene variegatis. Valde similis dicitur praecedenti. An ergo varietas R. fraxinifoliae?

δ) vulgaris: planta normalis! v. speciem.

ε) pendulina: v. R. pendulina.

ζ) hircina: a priori non differt nisi fructibus hispido-barbatis. Erit ergo potius varietas R. pendulinae.

η) hispida: fructus adscendentes: an eadem ac nostra R. hispida Krock?

ϑ) debilis: v. singulariter distinctam.

ι) glabra: pedunculis urceolisque glaberrimis.

κ) coronata: v. R. lagenaria. vulgo Rosier bouteille, Ros. des Alpes couronné, Ros. des Alpes à bouteille.

Clariss. Thory l. c. II. p. 56. R. alpinam accusat ut verum Proteum. Ad ejus opinionem omnes species hujus sectionis in unicam conjungendae forent. Si hoc placet, ego non contradico, sed tunc etiam in ceteris sectionibus idem rigor adhiberi debebit, et non habebimus plures quam 23 species. Diversitates interea, quas tum varietates vocabimus, Bo-

Digitized by Google

tanici curiositatem non minus exstimulabunt, quam ipsae species. Nomen mutabitur, rationes manebunt priores. Si nostrae sectiones species appellantur, varietates manebunt in illo eodemque statu, quo nunc sunt, nostrae varietates demum dicentur subvarietates, et sic porro. Quid autem lucri ex hac nominum alienatione enascatur? Sane magnum, si etiam in generibus Carice, Pelargonio, Justicia, Trifolio, Salice, Plantagine, Euphorbia, Mesembrianthemo aliisque pari judicio procederemus. Si non, nil nisi perturbatio Babylonica metuenda foret. T.

Huic denique varietatum Synopsi subjungenda est consignatio monstrositatum celebratarum, et saepe in hortis, raritatis vel singularitatis gratia conservatarum. Sunt autem sequentes:

I. Rosa centifolia foliacea: i. e. calycis segmentis ingentibus, apice folioliferis, quae quandoque simul e centro prolifera. Ipse colui. Icon. ap. Red. in Ros. T. II. ad p. 59. Similes monstrositates vidi in R. bifera, Damascena atque pomponia.

II. Rosa centifolia sine urceolo: vidi in horto caes: Schönbrunnensi R. c. calycibus fere usque ad basin partitis, ut vix ullum urceoli vestigium remanserit. Similes monstrositates a nimia plenitudine venientes observantur etiam in R. tur-

Digitized by Google

binata, sulphurea atque muscosa. In quibusdam calycis segmenta simul foliacea apparent.

III. Rosa centifolia prolifera; seu e centro floris novum pedunculum cum gemma floris subsequentis emittens, saepe bracteis, imo foliis instructum. Similiter prolificantes vidi Rosam Damascenam, Gallicam, atque Sinicam. Monstrositatem simul foliaceam et proliferam refert icon et descriptio in Red. Ros. T. III. ad pag. 65.

IV. Rosa centifolia apetala: haec in horto Dni. Du Pont enata, et propagata, nunc viva in horto Luciburgensi conspici potest. Monstrositas sane inter omnes maxime admiranda, praesertim, cum de sola R. centifolia usquedum observata fuerit.

V. Rosa centifolia simplicifolia: vidi olim in horto Caes. Schönbrunnensi foliis plurimis simplicibus.

VI. Rosa alba involucrata: i. e. segmentis calycinis ingenti modo adauctis, tenuiter dissectis et pinnatifidis, ante floris expansionem erectis, et fere involucrum Nigellae Damascenae imitantibus. Icon apud Redouteum in Rosarum T. III. ad pag. 17.

Quod modum Rosas commentationibus illustrandi adtinet, pauca sunt, quae rationem reddendam reposcunt. In Rosis largior et latior esse

Digitized by Google

debui, quam in aliis plurimis plantarum generibus necessarium videtur. Etenim Rosae sunt plantae cultura, usu medico, oeconomico, technico, arte pictoria, poesi, historia et scientia symbolica celebratissimae. Cum vero plerisque harum artium scientiarumque cultoribus fundamenta botanica penitus deficerent, factum est, ut plurima perturbarentur, et vanae saepe nugae cum gravissimis peritiis commiscerentur. Initium autem omnis eruditionis est accurata subjectorum cognitio. Immensam debui errorum, confusionum et obscuritatum exaggerationem superare. Oportebat omnia in eodem statu commonstrare, quo reperiuntur, oportebat detecta referre, eorum mutuas relationes dijudicare, et tam intricatam materiam in ordinem redigere. Hoc eo magis oportebat, quo magis praxis hortulanaria ab omnibus principiis artis divergebat.

Quantumvis forte ipse erraverim (Errare enim humanum est, et nihil humani a me alienum esse puto!) non mihi denegabitur magna in colligendis et dijudicandis Synonimis diligentia. Descriptiones specierum magis in hoc genere prolixae esse debent quam in ullo alio, quia species sibi saepe adeo affines sunt, ut non nisi plenaria comparatione discerni queant. In adjectis observationibus criticis, jus specificum, affinitatem, sententias et opiniones controversas illustrare et prae ulterioribus permixtionibus monitis lectores cavere debui. Varietatibus in hoc genere major debebatur respectus

Digitized by Google

quam in ullo alio, quia in hortis species perpaucae, varietates vero plurimae habentur, circa quas beati possessores informari debent, ut tandem aliquando sciant, quid habeant, quid ulterius debeant sibi comparare.

Calycis partem inferiorem, germina includentem, auctores modo germen, modo calycis tubum, modo receptaculum, modo fructum appellarunt. Sed revera neque germen, neque tubus, neque receptaculum, neque fructus est, sed mera calycis dilatatio urceolaris, saepius superne constricta, et tum turbinata, tandem in 5 segmenta seu lacinias divisa, quae ipsae vel simplices sunt vel pinnatifidae, appendiculatae, spathulatae vel foliolosae. Dixi ergo illam calycis partem inferiorem urceolum, sive sit globosa sive ovata, sive elliptica, oblonga vel turbinata. Ejus enim similitudo cum vase, urceolo dicto, facillime concipitur. Haec sola atque unica innovatio est, quam necessitate coactus, mihi sumebam.

Et sic tandem sufficientem rationem de meo in Rosarum multitudine labore reddidisse puto, contentus si lectores non negent, me aliquid in tam difficili penso praestitisse, et Rosarum cognitioni aliquot obstacula amovisse. In posterum multi errores eo tutius corrigentur, cum hac compositione oculis omnium scrutatorum uniti subjiciuntur. Utique afferet denique lucem et huic intricatissimo generi dies.

T.

Digitized by Google

ROSACEAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSACEAE.

Receptaculum calycis basi adnatum; Petala et stamina calycis disco insidentia; stamina plurima; pistilla plerumque plurima aggregata. Fructus congesti, parvi, caryopsides vel baccae. Receptaculum quandoque in fructum spurium, succulentum, permutatum.

Herbae et frutices, raro arbores. Genera quaedam speciebus ditissima, veluti: Rosa, Rubus, Potentilla; alia pauperrima, uti Waldsteinia, Duchesnea, Tormentilla etc. Excluduntur Sanguisorbaeae, Spireaceae, Pomaceae, Amygdaleae etc. Genus primarium et omnium hujus familiae nobilissimum Rosa est. Plantae cisaequatoriales, plurimae alpinae, nonnullae arcticae. Floribus abundant, saepe elegantissimis; saltem in generibus majoribus species quaedam ornatissimae connumerantur, veluti in Rosa, Rubo, Potentilla, Geo, etc.

Exceptionibus et abnormitate eminent: a) Tormentilla; numero quaternario; b) Waldsteinia; pistillis tantum duobus; c) Potentilla, Duchesnea, Dryas; calyce duplici, vel polyfido; d) Rosa; germinibus inclusis; e) Fragaria, Duchesnea; receptaculis succulentis, baccam spuriam formantibus.

Proxima est familia Pomacearum, quae a quibusdam cum Rosaceis unita fuit. Rosa sola non potest familia separari: nam in Rubo, Potentilla etc. solum receptaculum elevatum differt; urceolo sublato nulla superesset differentia; haec vero generica solum est et non familiaris. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

RÒSA *Linn. omniumque auctorum.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Rubus.)

Char. gen. Calyx urceolatus, receptaculum et germina in sinu suo fovens, tandem 5-fidus; Petala 5 et stamina plurima disco faucis insidentia; Styli faucem calycis penetrantes; stigmata obtusa. Fructus: Calyx cum receptaculo connato in polyspermam baccam permutatus. Semina numerosa, angulosa. T.

Distribuendae in 24 Series in fronte cujusvis explicatas. Species sunt ultra 200. Omnes fere sunt frutices, paucissimae arbores, nulla herbacea. Venisse videntur ex India orientali, Imperio Chinensi et Japonia. Imperium Russicum intermedium, Caucasia et Persia plenae sunt speciebus Rosarum, a quibus tandem magis occidentales per degenerationem enatae fuerunt; degenerando autem multiplicatae sunt. In Africa paucae tantum hospitantur, et non nisi in septentrionali; Europa plurimas alit a montibus Uralensibus usque ad littora Lusitaniae. Rosae Americanae per regiones polares in Continentem occidentalem venisse et ex Rosa alpina atque Majali exortae fuisse videntur. Australasia nullas habet Rosas. Vix aequatorem transgreditur genus Rosarum. Nulla habitat in America australi.

Usus Rosarum ornamentarius, medicus, oeconomicus, alimentarius. A pictoribus atque poëtis ad abusum et fastidium usque celebratae fuerunt. Paucae tantum in hortis aluntur species, innumerae varietates, monstrositates et lusus naturae. Species omnium distinctissimae sunt R. Thunbergii, Eglanteria, moschata, rugosa, nivea, bracteata, Banksiae et berberifolia.

Nomen Ῥόδον derivatur a ῥέω (effluo) et ὀδμη (odor). ῥεῦμα πολὺ της ὀδωδης ἀφίησι.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES I.

JACQUINIANA.

Frutices humiles, grandifolii, grandiflori, multis aculeis et glandulis muniti, ad anomalias prae ceteris proni.

Species: R. muscosa. Ait. R. centifolia L. R. bifera. Du Pont. R. verecunda Wz. R. lepida. Wz. R. Damascena Ait. R. Gallica L. R. humilis Tausch. R. pumila L. R. arvina Krock. R. Waitziana. R. sylvatica Tausch. R. pygmaea. M. Bieberst. R. livescens Bess. R. Austriaca Crantz. R. hybrida T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *muscòsa Ait.*

R. urceolis ovatis, laciniis calycis, pedunculisque leprosis, petiolis ramulisque hispidis et glanduloso — viscosis; foliolis subtus pubescentibus, glanduloso — ciliatis, inaequaliter serratis, terminali cordato-obovato. T.

R. muscosa Ait. h. k. ed. 1. II. 207. Ej. ed. 2. III. 264. Willd. Sp. pl. II. 1074. Curt. Bot. Mag. t. 69. Miss. Lawr. Ros. t. 14. Red. Ros. I. 39. 41 et 87. c. icc. Andr. Ros. fasc. 1.

Frutex 2 — 4 pedalis, aculei numerosi recti, inaequales. Foliola ovata vel elliptica; petioli inermes, hispidi; stipulae ciliatae; in pedunculis et toto calyce aculei et ipsae laciniae mutantur in massam leprosam et quodammodo lichenosam, non in sensu botanico muscos frondosos referentem, e fusco viridescentem, glanduloso-viscosam. Odor floris maximi, saturate rosei gratissimus. Fructus nondum observatus.

Affinis R. pumilae, R. centifoliam magnitudine et superbia aequans vel potius superans. Patria ignota; sine dubio species orta in hortis, sed sufficienter distincta. Quod tegumentum istud leprosum adtinet, etiam plures aliae species in idem abludunt, veluti R. Ehrhartiana, caroliniana, umbellata, pumila et plures aliae, quae in opere Andrewsii perspici possunt. Variat floribus plenis roseis, albis et variegatis, denique magnitudine florum et totius staturae.

NB. Serius cell. Waitz in litt. monuit, esse specie eandem cum R. centifolia, et narravit, se in eodem individuo vidisse ambas species. Interea species nascentes saepius ita aberrant, et R. muscosa ipsa simplex s. normalis differt a R. normali centifolia. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *muscosa multiplex.*

Distinguitur aculeis paullo majoribus, foliolis maximis, floribus maximis plenis, more R. centifoliae plenae convolutis, pedunculis calycibusque leprosis. T.

In hortis rarissime habetur R. muscosa normalis, simplex, sed plerumque multiplex rosea, rarius alba, valde raro variegata. Prima apud Redouteum in Ros. T. I. ad pag. 41. secunda ibidem p. 87 tertia denique apud Andreusium fasciculo Rosarum 1^mo depicta est.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifòlia L.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi pedunculisque hispidis; foliolis ellipticis, obtusis, utrinque pubescentibus, simpliciter serratis; petiolis villosis, glandulosis, subinermibus; caule hispido, aculeato. Rau.

Rosa centifolia Willd. Sp. pl. II. 1071. Ait. h. k. ed. 2. III. 262. Marsch. Bieberst. Fl. Taur. Cauc. I. 397. Rau Enum. p. 109. Red. Ros. I. p. 77. c. ic. Lindl. Ros. no. 40.

Frutex 3—4 pedalis et altior. Aculei caulini maxime inaequales, sat copiosi, uncinati rectique, basi dilatati, breves. Petioli hispido-aculeati, glandulosi; stipulae lanceolatae, utrinque pubescentes. Foliola elliptica, obtusa (majuscula) subtus pallidiora, simpliciter serrata, basi integerrima. Flores solitarii, bini, terni. Pedunculi elongati, glanduloso-hispidi. Urceolus ovatus vel obovatus, et segmenta calycis appendiculata, glanduloso-hispida, intus tomentosa. Corolla R. pumilae persimilis. Fructus sat magnus, saturate et demum atro-purpureus, ovalis, glaber.

Varietates in hortis coluntur innumerae, et anomalia easdem auget in infinitum. Planta normalis (simpliciflora) valde rara est. Depicta l. c. apud Redouteum habetur. Cell. Lindley cum hac specie conjungit R. muscosam, pomponiam, aliasque.

Patria adhuc certius demonstranda. L. B. Marschall a Bieberstein refert, illam inhabitare Caucasi orientalis nemorosa, et etiam spontaneam saepius floribus polypetalis luxuriare. Cell. Dierbach, bot. Badensis refert in diario bot. Flora nuncupato 4to Ann. T. I. p. 191. illam a Dno. Märklin prope Wisloch spontaneam inventam, et R. Germanicam nominatam fuisse. Hortulani plerumque R. turbinatam sub hoc nomine intelligere solent. In specimine ab ipso Märklin lecto vidi in herbario Heckeliano foliola supra glabra, subtus incana simul et pubescentia, ad costas principales et margine glandulosa, subduplicato-dentata, nec serrata, plurima apice rotundata, alia acuta, imo acuminata. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia hortensis.*

Distinguitur caule multum aculeato, foliolis majusculis, rugosis, inaequaliter dentatis serratisque, supremis simplicibus, pedunculis longissimis, bracteatis, floribus magnis, plenis, convolutis, roseis, fragrantibus. T.

Colitur jam ab omni tempore in hortis.

Icon pulcherrima: in Redout. Roses. T. I. p. 25. c. ic. tab. 1ma. Haec est planta omnium celebratissima, tam in horticultura, quam in arte pictoria, in poësia, in literis omnis generis, imo in ipsis scriptis lithurgicis, et religiosis. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia anglica.*

Distinguitur cymis floridissimis, longe pedunculatis, floribus maximis, minus convolutis, totis roseis, nec centro magis purpurascentibus, odoratissimis. T.

In hortis divulgata sub nomine: Rosa Cumberland. Habetur floribus plus minus roseis et pedunculis calycibusque leprosis, perfecte ut in R. muscosa.

Icon apud Redouteum in Ros. T. II. ad pag. 101.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia Anemonoides.*

Distinguitur caule aculeatissimo, aculeis parvis, rectis, intermixtis setis glanduliferis, foliolis maximis, argute serratis; cyma inaequali, pedunculis elongatis, hispido-glandulosis, urceolis ellipticis, floribus semiplenis, non maximis, expansis, penitus roseis, staminibus in centro plurimis persistentibus, petalis more Anemones coronariae plenae versus centrum gradatim decrescentibus, concharum in formam involutis. T.

Soror proxima R. centifoliae anglicae; sed flores multo minores. Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 115.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia bullata.*

Distinguitur foliolis maximis revolutis et in modum Ocymi Basilici bullatis. Ceterum vix ulla ratione differt a R. centifolia hortensi. T.

Colitur in hortis, primum nata in horto cell. Du Pont.

Icon pulcherrima in Red. Ros. I. p. 37. c. ic. alia minus bona ap. Andr. in Ros. fasc. 32.

Planta magnifica, pulcherrima, in hortis nostris adhucdum rara, sed amatoribus Rosarum prae ceteris commendanda.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia grandidentata.*

Distinguitur aculeis caulinis minoribus, foliolis cordatis, vel cordato-ovatis subobtusis irregulariter inciso-dentatis, dentibus apice glanduliferis, pedunculis elongatis, calycibusque totis glanduloso-hispidis, bracteatis, floribus plenis, roseis, convolutis, minoribus. T.

Planta vegeta, rarius florens. Datur subvarietas foliolis oblongis sinuato-dentatis, quae non immerito R. quercifolia vocatur. Icon apud Redout. in Ros. T. II. ad pag. 65.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia carnea.*

Distinguitur petalis diaphanis, albo-incarnatis. Ceterum R. centifoliae hortensi simillima. Facillime in eandem revertitur, nisi saepius renovando conservetur varietas. T.

In hortis colitur, rarior, sub nomine Rosae Vilmorin, sub cujus cultura primum hujus varietatis specimen enatum fuerat in Gallia.

An non potius adnumeranda monstrositatibus? Hortulanis haec prae multis aliis existimata.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia mutabilis.*

Distinguitur a R. centifolia hortensi floribus inapertis intense roseis, apertis albis, exceptis petalis extremis, et saepe etiam centro, roseis. T.

In hortis plerumque Rosa unica vocatur, et facillime in R. centifoliam hortensem vulgarem regenerat. Casu detecta in Anglia. Dnus Grimwood illam primo obtinuit a pistore Richmond prope Needham in provincia Suffolk degente. Gratias patina nitidissima argentea retribuit Grimwood, cui haec Rosa eleganter insculpta erat. Richmond autem in testimonium existimationis hac patina usque ad ultimum vitae suae momentum utebatur.

In nostris hortis haec varietas adhucdum rarior, et nonnunquam cum R. bifera alba confunditur. Flores convoluti magni ut in R. centifolia hortensi. Icon opt. ap. Redout. in Ros. T. I. ad pag. 111. Apud Andrewsium in Ros. fasc. 2. repraesentatur hujus subvarietas fere leprosa seu muscosa sub nomine R. provincialis albae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia bipinnata.*

Distinguitur foliis fasciculatis, petiolis subnullis, sed stipulis irregularibus, crispis, convolutis, serratis; foliolis plerumque triternatis, vel bipinnatis, duplicato et maxime inaequaliter dentatis, laciniosis, crispis, complicatis, nonnullis peltatis, pendulis, subnudis, subtus glaucescentibus, pedunculis calycibusque tenuiter glanduloso-hispidis, laciniis calycis appendiculatis, vel simplicibus, bracteis in quibusdam oppositis, oblongis, ciliatis. T.

Haec varietas a cell. Dre Dietrich, aliisque pro specie declarata ad R. centifoliam reduci debet, quod experientia magistra, saepius sua sponte in statum normalem R. centifoliae hortensis redeat. Hortulanis etiam R. crispa, R. grossulariaefolia et R. apiifolia vocatur. Varietas mirabilis et insigni elegantia distincta. Ic. in Red. Ros. T. II. ad pag. 11.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *centifolia caryophyllea.*

Distinguitur caule et foliis magnis R. centifoliae hortensis, inflorescentia dichotomo-cymosa, floribus parvis, plenis, roseis, petalis unguiculatis, apice more Dianthi caryophylli dentatis, segmentis calycinis corolla minoribus, subintegris. T.

Facillime revertit per degenerationem in statum vulgarem R. centifoliae hortensis, et nonnisi repetitis renovationibus conservari potest. Inde rara. Prima ao. 1800 apparuit, et a cell. Du Pont posteritati conservata, varietas (ni potius degeneratio) distinctissima et amoenissima. Icon praestantissima in Red. Ros. T. I. ad pag. 113. Andreusii R. dianthiflora (Roses fasc. 19^uo^) non est eadem sed varietas R. austriacae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bifèra. Du Pont.*

R. urceolis obovatis, oblongis, pedunculisque hirsuto-glandulosis, foliolis margine pubescentibus, eglandulosis, caule aculeis confertis inaequalibus, subrecurvis, calycibus appendiculatis, pinnatifidis, floribus corymbosis. T.

Rosa bifera. Du Pont Choix d. Roses. Deleuze dans l'hist. des arbr. de Desfont. Nouv. Duham. VII. p. 32. Thory ap. Redout. in Ros. T. I. p. 108.

Rosa menstrua Andr. Roses fasc. 5.

Rosa semperflorens. Hort. par. De Cand. Fl. fr. IV. 443. no. 3706.

Valde affinis R. centifoliae, et forte filia, quod eo probabilius, cum tantum in hortis existat, patria, origo et status simplex, naturalis, ignoretur. Distinguitur a R. centifolia fructibus obconicis magis hispidis, foliolis minus rotundatis, rigidioribus, floribus magis aggregatis, caule ferocius aculeato. Hortulanis saepe R. calendarum nuncupatur.

Frutex 4—5 pedalis. Aculei copiosi, inaequales, subvalidi, fusco-purpurei, maximi, subrecurvi. Foliola, majuscula, ovalia, plerumque apice acuta, simpliciter serrata, laete viridia, subtus pubescentia, ciliata, penitus eglandulosa; petioli villosi, basi aculeolati. Stipulae glandulosae. Flores corymbosi, stricti, vel divaricati, odorati, saepius per annum apparentes, rosei, pleni. Fructus oblongi, obovati, scabri, coccinei, calyce persistente saepe coronati.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bifera Lelieuri.*

Distinguitur caule aculeis horrido, aculeis validis, longis, plerisque rectis rubentibus; cymis compositis; urceolis oblongis, floribus fragrantissimis, pulcherrime roseis, magnis, plenis, fere convolutis centro saturatius tinctis, daedaleo-umbilicatis, diutissime succedaneis, fructibus longissimis ex omnibus. T.

Nomen in venerationem cell. hortulani regii Lelieur, Galli, qui ao. 1811 tractatum eruditissimum de cultura Rosarum edidit. Planta pulcherrime depicta et descripta in Red. Ros. T. III. pag. 9. sub nomine R. biferae macrocarpae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bifera officinalis.*

Distinguitur magnitudine aucta, aculeis caulinis majoribus et magis aggregatis, segmentis calycinis frequentius appendiculatis et apice foliolosis, floribus convolutis, roseis, fragrantissimis. T.

In hortis sub nomine Rosier de Puteaux venditur, et prae ceteris omnibus in usum suffitorum adhibetur. Icon praestantissima in Red. Ros. T. I. ad pag. 107 pertinens.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bifera pumila.*

Distinguitur caule humili semipedali, ad summum pedali, aculeis rarioribus minutis, foliolis floribusque minoribus, umbellis cymisve florum contractis. T.

Posset facile ut species distingui; sed propensio ad inflorescentiam, odor, et urceolus separationem non admittunt. In hortis habetur sub nomine: Le petit Quatre-Saisons. Descripta atque depicta habetur in Red. Ros. T. III. p. 59. Nata Parisiis in pepinieria Dni. Nocl. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bifera alba.*

Distinguitur floribus multipetalis, expansis, albis, petalis acutiusculis, pedunculis crassioribus, brevioribus, subumbellatis, urceolis oblongis, aculeisque caulinis parvis copiosissimis rubris. T.

Floret saepius per annum et pro diversitate non ingrata, praesertim cum candore emineat, et odore alliciat. Icon ap. Redouteum in Ros. T. I. ad pag. 121.

S. I. 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *verecunda. Waitz.*

R. urceolis oblongis, basi, pedunculisque glandulosis, villosis; petiolis villosis, aculeatis, foliolis odoratis, ovato-oblongis, acutis, simpliciter serratis, incano-viridibus, supra hirsutis, subtus, margineque villosis; stipulis integerrimis, ramulis setigeris aculeatis, armis confertis, rectis; floribus subcymosis, stylis exsertis. Waitz.

Rosa verecunda Waitz in litt.

Cell. Waitz putat eandem ac R. belgicam argenteam Celsii, et R. damascenae proxime affinem: mihi vero potius filia R. biferae esse videtur. T.

Flores parvi pleni dilute carnei; odor similis illi R. albae; apparent a fine Junii usque ad initium Julii.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *lèpida. Waitz.*

R. urceolis oblongis, segmentis appendiculatis, pedunculisque glanduloso-hispidis; petiolis glandulosis, aculeatis pubescentibus; foliolis odoratis, ovatis, acutis, simpliciter serratis, utrinque hirsutis, margine ciliatis; ramulis glanduliferis aculeatis; armis rectis, confertis, inaequalibus. Waitz.

Rosa lepida. Waitz. in litt.

Rosa Francisca. hortul.

Hanc cell Waitz putat intermediam inter R. centifoliam et damascenam. Flores compacti, pleni, pulcherrime rosei, nonnunquam striis albis variegati, medio Junio apparent; aculei horridi. An sufficienter diversa a R. bifera officinali? Differt autem praecipue foliolis odoratis, ergo glandulosis! T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *damascèna Ait.*

R. calycibus semipinnatis, germinibus (urceolis) ovatis, turgidis, pedunculisque hispidis, caule petiolisque aculeatis, foliolis ovatis, acuminatis, subtus villosis. Du Roi.

Rosa damascena Du Roi harbk. Bmz. II. 369. Ait. h. k. ed. 1. II. 205. ej. ed. 2. III. 263. Willd. Sp. pl. II. 1072. Red. Ros. I. 63. Lindl. Ros. no. 39. Miss. Lawr. Andr. Rössig. Nouv. Du Ham. etc.

Frutex 3—4 pedalis; caules copiose aculeati aculeis magnitudine inaequalibus, rectis, uncinatisque; petioli pubescentes, glandulosi, aculeati; foliola simpliciter dentata, acuminata, superne glabra, subtus pubescentia. Urceolus obovatus vel pyriformis, nonnunquam ovalis; laciniae cal. lanceolatae, cuspidatae, appendiculatae, vel pinnatifidae; flores magni, albo-rosei. Fructus oblongi, elliptici, rubri, hispidi nitidique. Varietates habentur plurimae, plus minus plenae, albae, roseae, coccineae, purpureae et variegatae floribus. A R. bifera discernitur urceolis obovatis brevioribus; a R. centifolia pedunculis brevioribus et urceolo obovato. Interim utrisque admodum affinis et forte (utique mera hortensis) cum his et R. gallica unius est, ejusdemque originis. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Damascena Belgica.*

Distinguitur floribus plenissimis non magnis, expansis, centro pannosis, roseis, cymosis, pedunculis pedicellisque crassiusculis, dense glanduloso-hispidis, urceolis subglobosis, superne, calycisque segmentis brevibus lanceolatis appendiculatis, albo-marginatis, totis extus glabris. T.

Thoryo apud Reduteum haec R. Damascena ζ. carnea. Icon apud Andrewsium in Ros. fasc. 5 sub nomine: R. Belgicae blandae. Hujus aliam subvarietatem majorem vid. ap. Andr. in Ros. fasc. 35. sub nomine R. centifoliae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Damascena coccinea.*

Distinguitur caule humili pedali vel sesquipedali, aculeis rarioribus, minoribus; foliolis subtus tomentosis; floribus cymosis expansis, coccineis parce suaveolentibus. T.

Sub nomine Rosae Portlandicae in hortis propagatur, et quasi media est inter R. gallicam atque damascenam; varietas admodum speciosa. Icon in Andr. Ros. fasc. 5. sub nomine R. racemosae; et fasc. 13. sub nomine R. Portlandiae; et in Red. Ros. T. I. p. 109. R. racemosa Andr. est hujus subvarietas foliolis obscure virentibus et floribus racemosis, vel potius corymbosis. Andrew in Ros. fasc. 5. habet subvarietatem semperflorentem sub nomine R. racemosae. Clariss. Waitz Rosam hanc ut speciem propriam in litt. sub nomine R. sessiliflorae distinguit; forte non immerito? T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Damascena Aurora.*

Distinguitur aculeis validis subrectis, purpurascentibus, foliis deflexis, adscendentibus, foliolis magnis fere rotundis, subtus tomentosis, floribus subumbellatis magnis expansis, semiplenis, petalis ex roseo et flavo variis, pedunculis, calycibusque hispidis, segmentis subintegerrimis. T.

Thory in Red. Ros. T. II. p. 42. c. ic. hanc varietatem appellat Auroram Poniatowskam in honorem Aurorae Poniatowskae, discipulae Redoutei praestantissimae. Huic persimilis R. Dam. Italica; differt tantum aculeis minoribus, foliolis ellipticis et floribus magis plenis majoribus, v. Red. l. c. III. pag. 37. c. ic.

Digitized by Google

Digitized by Google

Distinguitur ramis tenerrime aculeatis, intermixtis setulis glanduliferis, floribus terminalibus aggregatis, cymosis, maximis, plenis, ab initio subconvolutis, pulcherrime roseis, odoratissimis, tandem expansis et fere penitus albis. T.

In Gallia nominatur haec varietas Damascena Celsiana in memoriam anno 1806 defuncti Jacobi Mart. Cels, hortulani et pepiniarii celeberrimi, qui sua industria hanc per Galliam divulgaverat, etsi alioquin in Hollandia jam diu ante Celsium habebatur et in pluribus tabulis cell. pictoris Van Huysen repraesentata conspicitur. Icon ap. Redout. in Ros. T. II. ad pag. 53. R. speciosa et var. multiplex Andr. Ros. f. 32. videtur esse eadem. Subvarietas prolifera s. e centro floris ramulum cum flore secundario emittens depicta est ap. Red. l. c. T. III. p. 13.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Damascena corymbosa.*

Distinguitur aculeis caulinis sparsis longis subuncinatis, floribus paniculatis, magnis, plenis, expansis, centro pannosis pallidissime roseis, in circumferentia fere albis, pedicellis, urceolis segmentisque hispido-glandulosis. T.

Icon ap. Andr. in Ros. fasc. 11. sub nomine R. bella donna. Eodem fascic. tab. prox. subsequente delineata est subvarietas, omnibus partibus duplo minor. Prostat etiam alia foliolis variegatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Damascena variegata.*

Distinguitur floribus expansis, polypetalis, albis, roseo-fasciatis et flammatis, magnis, caule aculeatissimo 2—4 pedali; pedunculis calycibusque glanduloso-hispidis, viscosis, urceolis obovatis, segmentis calycinis appendiculatis, foliolis grosse serratis, subtus pubescentibus. T.

In hac varietate saepe flores toti albi et toti rubri in eodem specimine conspiciuntur, quod nunquam accidit in varietate alia hujus speciei, quae dicitur R. damascena felicitas. Praesens in hortis saepe Rosa de York et Lancaster vocatur, per allusionem denominationis memorabilis, scilicet: cum circa medium saeculi XV Anglia turbis et partibus dissoluta erat, ipsae foeminae delectu R. albae vel rubrae suas partes publice confitebantur; quod quidem et praeter alia ex sequentibus versibus, virgini anglicanae hoc tempore dicatis patescit. (vid. Orbessan Mélanges. II. p. 333.)

Lovely Thory why the jest
Of wearing orange in thy breast?
Since this breast bel raying shews
The whiteness of the rebell rose.

Cave ne confundas cum R. gallica versicolori, quam quidem cell. Rössig sub nomine Rosae York et Lancaster exhibuit! Icon ap. Red. in Ros. T. I. ad pag. 137.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. urceolis globosis ovatisve, pedunculisque hirsuto-glandulosis, caule et petiolis hispidis, aculeatis; foliolis rigidis, ovatis, subduplicato-serratis, margine glandulosis, subtus pubescentibus; laciniis calycinis alternatim pinnatifidis, rarius integerrimis; aculeis ramorum sparsis subreflexis, superioribus setaceis, floribus saturate purpureis. T.

Rosa gallica; germinibus ovatis, pedunculisque hispidis, caule petiolisque hispido-aculeatis. Linn. Sp. pl. 704. Willd. Sp. pl. II. 1071. Ait. h. k. ed. 2. III. 262. Lindl. Ros. no. 41.

Rosa centifolia holosericea. Andr. Roses. fasc. 19. utique planta normalis.

Frutex major quam R. pumila; aculei minores; foliola duriora, majora, rugosa, petioli plerumque rubescentes, flores plerumque minores, sed profundius et velutino-purpurascentes; urceoli depresso-globosi, vel obovati et quasi pyriformes, in planta normali subsolitarii, vel ternati; fructus minores elliptici ex aurantio rubri.

Cell. Lindley in Ros. Mon. p. 68 et seqq. Rosam pumilam, austriacam, arvinam, aliasque cum praesenti pro una specie habet. Rosam gallicam, pumilam et Austriacam commiscendo maxima confusio enasci debuit. Has autem rite distinguendo, innumerae illae varietates et subvarietates facile referuntur ad suas species. Interea non nego, has species ipsas sibi intime affines esse. At quaeso: suntne hoc minus R. centifolia, muscosa, bifera, Damascena et plures aliae? T.

Habitare seu sponte nasci videtur in Hispania et Gallia australi. ♄.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica Stapeliaeflora.*

Distinguitur caule bipedali superne centematoso, glanduloso, foliolis minoribus, subtus tomentosis, margine glandulosis, ciliatisque; floribus plerumque ternis simplicibus; petalis majusculis, saturate purpureis, longitudinaliter pulcherrime punctatis. T.

Flores admodum singulares, digni ut novam speciem constituerent, nisi reliqua omnia consentirent cum characteribus R. Gallicae, Pulcherrime depicta habetur in Redout. Ros. T. III. ad p. 55. Nomen triviale non laudabile. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica purpurea velutina.*

Distinguitur caule superne hispido-aculeato, stipulis parvis, petiolis roseis hispidis et aculeatis, foliolis late ovatis, subtus glaucescentibus, tomentosis, pedunculis subcorymbosis glanduloso-hispidis, divaricatis, urceolis subglobosis, segmentisque alternatim pinnatifidis, glanduloso-hispidis, floribus multipetalis, explanatis, petalis saturate, caerulescenti, et velutino-purpureis, parvis, undulato crispis, neque pannosis. T.

Icon apud Andrewsium in Ros. fasc. 19. sub nomine R. centifoliae holosericeae. Ubi etiam subvarietas floribus plenissimis depicta est. Odor spirituosus ab illo R. centifoliae maxime diversus. Ab hac fere sola florum magnitudine differt R. centifolia purpurea Andr. Ros. fasc. 33.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica Pontiana.*

Distinguitur ramulis copiose sed et minute aculeatis, pedunculis elongatis glanduloso-hispidis, urceolis inaequalibus ellipticis, obovatis et globosis in eadem planta, segmentisque pinnatifidis hispido-glandulosis, floribus maximis, plenis semi-expansis, saturate purpureis, suaveolentibus nec fragrantibus, petalis mediocribus conchaceis, centro parum decrescentibus. T.

In pluribus hortis colitur sub nomine Rouge formidable (R. rubra horribilis); sed nomen adeo ineptum cell. Thory in Red. Ros. T. II. p. 121. c. ic. merito in praesens commutavit, quo memoria Andr. Du Pont, meritissimi cultoris, et Rhodologiae scriptoris Parisiis ao. 1817 defuncti, celebratur. Planta magnifica, fastuosa, flores fulgidi, quodammodo Ranunculacei, sed ingentes. Ab hac vix alio momento, quam foliis adauctis (Juglandis regiae magnitudine), et aculeis adhuc diminutis, fere in hispiditatem transeuntibus, discernitur sic dicta R. gallica latifolia, quae in Redoutei Monographia de Rosis T. III. loco primo descripta atque depicta habetur. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica van Eeden.*

Distinguitur caule procumbente, principali aculeato, ramis assurgentibus et floriferis subinermibus, foliolis magnis, oblongis, acuminatis, floribus cymosis mediocribus, plenis, expansis, ab initio coccineis, tandem velutino-nigricantibus, urceolis globosis, segmentis calycinis subintegerrimis.

Haec varietas admodum rara, sub cultura cell. pepinieristae van Eeden Harlemi primum ex seminibus R. gallicae enata fuit. Non datur R. nigra, sed plures varietates R. gallicae, antequam penitus deflorescunt, in colorem atropurpureum metamorphosi transeunt, quae quidem pulcherrima est et admirabilis, cum passim parcus rubor, caeruleo et violaceo intermixtus a nigredine veluti ignis e carbonibus effulgeat. Icon apud Red. in Ros. T. II. ad pag. 17. sub nomine Rosae gallicae purpureae velutinae parvae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica Agatha.*

Distinguitur habitu minori, foliolis minoribus, subduplicato-serratis, urceolis turbinatis, floribus solitariis, parvis, plenissimis, fulgentissimis, centro purpureis, pannosis, circumferentia explanatis, atropurpureis; petalis retrorsum imbricatis, parvulis. T.

Pulcherrima certe planta coronaria, de qua plurimae in hortis subvarietates habentur. Interea R. Agatha cum suis varietatibus tantopere differt a R. Gallica, ut vix me retinere valeam, eam (separatis tamen paucis, huc adductis varietatibus R. pumilae!) pro specie distincta declarare. Illa, quam ut maxime primariam de ceteris, quas vivas observavi, existimo, in Red. Ros. T. III. ad pag. 35. depicta est, et Gallis La petite Renoncule violette appellatur. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica episcopalis.*

Distinguitur caule ramulisque copiosius aculeatis, foliolis maximis oblongis, ellipticis, rigidiusculis, subtus tomentosis, stipulis serrulato-hispidis, urceolis globosis segmentisque calycinis appendiculatis glanduloso-hispidis, floribus maximis, plenis, expansis, ab initio coccineis, tandem atro-violaceis, fructibus magnis, depresso-globosis, miniaceis.

Haec varietas sub nominibus R. purpureo-violaceae magnae, R. cupreae, R. Schönbrunnensis etc. per hortos divulgata est. Plures quoque habentur subvarietates, veluti a) Rosa belle Violette, plenissima, saepius prolifera; b) R. grande Violette seu Roxelane, minus violacea et magis odorata; c) R. reginae dilute violacea, petalis aliquibus albo marginatis; d) R. nigra hollandica, petalis exterioribus saturatius violaceis; e) R. crassa inermis; caule subinermi, petalis ex purpureo et violaceo variegatis, extus fere albis; f) R. intelligibilis; foliolis parvis, rugosis, floribus magnis, odoratissimis, plenissimis, elegantissime violaceis, caule debili; g) R. Pallium episcopale, colore varians mox profunde mox alte violacea, segmentis calycis brevibus; h) R. Marron seu R. nigra; colore fusco-purpureo in violaceum tendente, petalis obiter velutinis, inodora, c. s. p.

Icon ap. Red. in Ros. T. II. ad pag. 29.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica caerulea.*

Distinguitur foliolis oblongis, magnis, duriusculis, tenuiter serrulatis, glauco-caerulescentibus; floribus semiplenis, magnis, saturate purpureis et albido-punctatis, patentissimis. Cetera omnia ut in R. gallica vulgari, semiplena. T.

Nomen a foliolis, nec a floribus derivatum; sed varietas admodum singularis, soli exponenda in hortis, quo magis caerulescat. Est subvarietas R. gallicae basilicae. Icon apud Red. in Ros. T. II. ad pag. 91.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica Delphiniana.*

Distinguitur foliolis maximis oblongo-ellipticis, cymis depauperatis, proliferis, floribus plenissimis subparvis, centro roseis circumferentia purpureis, tandem subviolaceis, petalis imbricatim reflexis. T.

Haec certe est R. Gallicae varietas Redouteo (Ros. T. III. p. 39.) R. Gall. Agatha var. Delphiniana, gallice: L'enfant de France, dicta, quam si aliquis cum paullo antea (p. 35.) descripta et depicta R. Gall. Agatha parvula violacea (R. Ehrhartiana Agatha nobis) comparare velit, non poterit dubitare, hasce duas varietates pertinere ad penitus diversas species. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica marmorea.*

Distinguitur caule hispido-aculeato, foliolis rugosis, coriaceis, subtus villosis, pedunculis elongatis, strictis, crassiusculis, hispido-glandulosis, urceolis globosis, subhispidis, segmentis cal. subpinnatifidis, floribus maximis, semiplenis, petalis roseis, purpureo-venosis, margine subalbicantibus. T.

Hanc ad R. Gallicam, neque ad R. pumilam referendam esse, concludo ex forma aculeorum, et urceolorum. Ceterum videtur esse hybrida de utrisque; pedunculi enim et color valde testantur pro R. pumila. Icon in Andr. Ros. fasc. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Gallica versicolor.*

Distinguitur floribus polypetalis, expansis, petalis maximis roseo et albo variegatis, purpuraque vittatis; ramis floriferis subinermibus, vel saltem aculeolis minutissimis; foliolis subtus villosis, ciliatis, segmentis calycinis brevibus, duobus tantum appendiculatis. T.

Haec varietas facillime revertit ad colorem originarium, et penitus purpurascentes flores procreat, nunquam autem albos. In Anglia R. Rosemundae, in Gallia Provins panaché vel etiam Provins oeillet, alibi R. mundi, R. praenestina et R. belgica hortulanis vocatur. Icon ap. Red. in Ros. T. I. ad p. 135.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *humilis Meldensis.*

Distinguitur caule vix pedali, aculeis sparsis, uncinatis, teneris, foliolis majusculis discoloribus, ovatis, acutis, serratis, subtus pubescentibus; pedunculis, calycibusque pubescenti-glandulosis, segmentis parvis, subpinnatifidis; floribus umbellatis, involucratis, corollis plenis, multipetalis, subconvolutis, majusculis, pulcherrime roseis. T.

In hortis vulgata sub nomine R. de Meaux, vel R. provincialis nana. Sub hoc ultimo nomine etiam depicta ab Andrew in Ros. fasc. 15. Definitiones descriptionesque comparando, non dubito, hanc varietatem potius ad R. humilem referendam esse, quam ad R. gallicam. Non minus huc referendam puto R. centifoliam minorem Redout. Ros. III. 33. vulgo Rosier de Bordeaux.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *humilis granata.*

Distinguitur aculeis numerosis, inaequalibus, maximis recurvatis, foliolis maximis, late ovatis, acuminatis, minus rigidis, minusque rugosis, quam in R. gallicae varietatibus, duplicato-serratis, subtus et margine tomentosis, floribus cymosis, maximis, plenis, non penitus expansis, roseis, fere inodoris; pedunculis longissimis, saepissime triternatis calycibusque glanduloso-pilosis. Segmenta calycis 3 pinnatifida, 2 integerrima. Urceoli obovati, nonnunquam fere globosi. Fructus majusculi, ob calycem persistentem et granula copiosa comparantur cum fructibus Punicae Granati; sed similitudo non satisfaciens. T.

Icon cell. Redoutei sub nomine R. Gallicae Granati, in Ros. T. II. ad pag. 105. praestantissima quidem, sed ramum, pedunculos et calyces penitus inermes, nudos et glabros repraesentat. Apud Andreusium in Ros. fasc. 14. sub nomine R. provincialis flore pleno depicta prostat.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *humilis Tausch.*

R. calycum tubis (urceolis) obovatis, pedunculisque hispidis; petiolis glandulosis, aculeatis; foliolis ovatis, acutis, glandulose, inaequaliter, grosse serratis, glabris, supra nitidis, subtus glaucescentibus; caule erecto, aculeis raris, subaduncis. Tausch.

Rosa humilis. Tausch: in Diar. bot. Flora dicto. Ann. 2. II. 465.

Caulis erectus, strictus 1—1½ pedalis, paucissimis aculeis debilibus vix uncinatis munitus. Stipulae lanceolatae, margine glandulosae. Foliola illis R. sylvaticae similia, sed dimidio breviora, supra nitida, subtus glaucescentia, et pariter ac petioli, glabra. Flores magni, colore R. sylvaticae, breviter pedunculati, solitarii, vel ad 2—3. Laciniae calycis alternatim semipinnatifidae.

Hab. in collibus graminosis cum R. pumila in Bohemia. Fl. Jun. Jul. ♂. Admodum et forte nimis adaequat R. pumilam; quod tamen ante fructus cognitionem contra meritissimi viri atque amici auctoritatem defendere nolo. Interea meam opinionem profiteri liceat, secus quam Rosae et praecipue Rosa pumila non modo jam de semine aberrant, sed et solo, statione ac aetate permutantur. Etiam in hortis Rosae annosae aliter se habent, quam aliae de eadem specie, quae primis vicibus florent. Cultura decidet, an praesens sit vera species, nec ne? Ad hunc usque terminum R. humilem cell. auctoris non ignorare oportet. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *gallica officinalis.*

Distinguitur caule 3-pedali, ramulis hispido-aculeatis, aculeis parvis, rectiusculis; foliolis magnis, ovato-acutis, rigidiusculis, tenuiter serratis; petiolis pedunculisque glanduloso-hispidis; floribus subsolitariis vel geminatis, maximis, semiplenis, expansis, saturate purpureis, odoratissimis. T.

Haec maxime in usum pharmacopaeorum colitur, et itaque prae ceteris officinalis est. Icon apud Redouteum in Ros. T. I. ad pag. 73. et apud plurimos alios.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila muscosa.*

Distinguitur caule aculeatissimo, aculeis longioribus, nullibi leprosis, foliolis acutis discoloribus, pedunculis brevioribus hispido-leprosis, urceolis cum segmentis fere contiguis sub processibus leprosis evanescentibus, segmentis ipsis subfoliosis pinnatifido-laceris, leprosis, floribus simplicibus vel plenis, magnis, roseis, explanatis, petalis exterioribus maximis. T.

Omnino diversa a R. muscosa vera praecipue aculeis, foliolis et urceolis. De utraque prostant specimina simpliciflora et etiam in hoc statu iisdem rationibus distinguuntur. R. haec in statu simplici habet flores omnium maximos, petalis saturatissime roseis, unguibus albicantibus, et praeter integumentum leprosum vix differt a R. pumila normali; (v. Andr. Ros. fasc. 23. R. muscosa simplex!) cujus diversitas a R. muscosa simplici Redoutei in Ros. T. I. ad pag. 39. jam comparatione iconum primo intuito oculos offendit. R. pumila muscosa plena depicta habetur apud Andreusium in Ros. fasc. 10. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila incomparabilis.*

Distinguitur aculeis rarioribus, sparsis, superioribus rectis, parvis, inferioribus magnis uncinatis purpurascentibus, foliolis ovato-oblongis, grosse serratis, gemmis florum truncatis, calyce mirum in modum anomalo, saepe foliifero, flore mediocri, laete roseo, pleno, centro plerumque prolifero, et nonnunquam etiam flore secundario iterum prolifero, foliis prolificationis maxime irregularibus atque e perturbatis foliorum, stipularum, bractearum, calycis, petalorumque ipsorum conformationibus mixtis. Ceterum planta R. pumilae praecoci non absimilis. T.

Depicta habetur in Redoutei Ros. T. III. ad pag. 47. sub nomine R. gallicae Agathae var. proliferae. In eodem loco p. 48 consignantur 38 subvarietates R. Gallicae Agathae; quae tamen vix omnes ad unam eandemque speciem pertinebunt?

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila meleagris.*

Distinguitur aculeis ramulorum parvis, rectis, inaequalibus, copiosissimis, floribus maximis, semiplenis, expansis, petalis albo, vel saltem roseo multoties dilutiori punctatis. T.

Subvarietates differunt numero et perspicuitate punctorum. Distinctissima harum ea est, quam cell. Loiseleur-de-Longchamps promulgavit; alia punctis paullo rarioribus, majoribusque minus albis in Red. Ros. Tom. III. ad pag. 49. depicta est sub nomine R. gallicae, var. flore marmoreo.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pùmila L.*

R. tubo calycis (urceolo) oviformi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovalibus, duplicato-glanduloso-serratis, subtus discoloribus, pubescentibus; petiolis glandulosis, aculeatis; caule superne aculeato; aculeis sparsis, inaequalibus. Rau.

Rosa pumila. Linn. Suppl. 262. Marsch. Bieberst. fl. Taur. Cauc. III. 342. Willd. Sp. pl. II. 1072. Ait. h. k. ed. 2. III. 263. Rau Enum. Ros. p. 112. Red. Ros. II. p. 63. c. ic.

Rosa Gallica. Fl. Wirceburg. Suppl. p. 43. Seringe Melanges bot. I. Thory ap. Redout. Ros. T. I. p. 76. Wulfen in Röm. Arch. III. fasc. 3. p. 373. Bechst. Forstbot. no. 150. p. 1034.

Rosa gallica rosea flore simplici. Red. Ros. III. ad p. 57.

Rosa provincialis. Andr. Ros. fasc. 2. Bechstein Forstbot. no. 149. p. 1032.

Frutex 1 — 2 pedalis, caule superne aculeato, (In specimine Taurico vidi caulem penitus inermem. T.) aculei partim recti, partim uncinati, intermixtis glandulis stipitatis. Petioli pubescentes, glanduloso-hispidi, subtus aculeati. Stipulae integerrimae, subtus pubescentes, margine glandulosociliatae. Foliola inferiora 5na, summa 3na, ovalia, partim acuta partim obtusa, infima obovata, satis rigida, supra glabra, subtus glaucescentia, pubescentia, venosa, ad nervos primarios glandulosa, duplicato-serrata, (in specimine Taurico vidi simpliciter serrata! T.) serraturis argutis, glandulosis. Frutex pauciflorus, saepe unico flore caulem terminante. Laciniae calycis lanceolato-attenuatae, nec apice dilatatae, appendiculatae (in spec. Taur. vidi tamen etiam subspathulatas! T.) Corolla speciosa, maxima, roseo-purpurea, unguibus, praesertim extus, albida, suaveolens. Fructus pyriformes, hispidi, rubri, vel parum aurantiaci, nitidi, tandem fusco-purpurei, plerumque hiemem perdurantes. Rau.

Hab. in vallibus fertilibus inter frutices per omnem Europam meridionalem, nec non in Tauria et Caucaso. Permultae varietates R. Gallicae tributae pertinent ad hanc speciem. R. pumila β hispida Rau est R. Austriaca.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila Aurelianensis.*

Distinguitur habitu omnium elegantissimo, floribus maximis, pulcherrimis, expansis, purpureo-roseis, serioribus ceteris omnibus sub dio, petalis exterioribus maximis explicatis, centralibus parvis, erectis, pannosis, et vario modo complicatis, ramulis valde aculeatis, aculeis maxime inaequalibus, fere omnibus rectis. T.

Frutex 3—4 pedalis. Flores suaveolentes, subcymosi. Icon exacta in Red. Ros. T. III. ad pag. 29.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila regalis.*

Distinguitur ramulis floriferis frequentius aculeatis, aculeis tamen exiguis, foliolis maximis, ovato-lanceolatis, subtus villosis, floribus cymosis, maximis, multipetalis, expansis, carneis, odoratissimis, urceolis pyriformibus, calycisque segmentis oblongis, appendiculatis, glanduloso-hispidis. T.

Hortulanis Rosa Sti. Francisci, Grandeur royale, provincialis multiplex etc. nuncupatur. Frutex parvus, sed flores ingentes et pulcherrimi simul ac odoratissimi. Icon apud Redout. in Ros. T. II. ad pag. 19. Subvarietas minus plena tamen maxima apud Andreusium in Ros. fasc. 19. sub nomine R. provincialis regalis. Ab hac parum diversa praeter magnitudinem auctam R. Gallica flore giganteo: in Red. Ros. III. 53. c. ic.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila praecox.*

Distinguitur aculeis caulinis copiosis minimis, maxime inaequalibus, rectis; foliolis majusculis supra glabris, subtus tomentosis, duplicato-serratis, serraturis apice glandulosis, floribus cymosis, longe pedunculatis; pedunculis hispido-glandulosis, urceolis subovatis, segmentisque inaequalibus, flavo-viridibus, glabris, floribus magnis plenissimis, subpannosis, roseis. T.

Primo vere florere incipit, et diu continuat. Exhibetur picta apud Redouteum in Rosarum T. III. ad pag. 45. sub nomine R. gallicae Agathae, var. regalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA ***pumila daedalea.***

Distinguitur ramis copiose aculeatis, aculeis uncinatis, gracilibus, basi dilatatis, atrosanguineis; foliolis mediocriter magnis, superne obscure viridibus, subtus canescentibus, anguste serratis, petiolis multum aculeatis, pedunculis calycibusque subsimplicibus hispido-glandulosis; floribus subumbellatis, majusculis, explanatis, plenissimis; petalis parvis undulato-crispis patentibus, neque pannosis. T.

Icon in Andr. Ros. fasc. 28. sub nomine R. centifoliae flore testaceo. In Angliae hortis vulgo nominatur Shell Rose; id est: R. tesselata seu testudinaria.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila provincialis.*

Distinguitur floribus racemosis, nutantibus, maximis, plenissimis, convolutis, pallide incarnatis, omnium fragrantissimis; pedicellis longis, crassis, urceolis obovatis extus undique dense glanduloso-hispidis. T.

Thoryo apud Reduteum haec R. Gallica ♀ mirabilis vocatur. In Anglia nomen vulgare Cabbage Province est. Icon apud Adreusium in Ros. fasc. 3. sub nomine R. provincialis multiplicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila rubrifolia.*

Distinguitur caule humili, debili, aculeis paucis, gracilibus, recurvis, petiolis aculeatis, purpurascentibus, foliolis mediocriter magnis, concavis, ovatis acutiusculis, supra glaucescenti-viridibus, subtus subalbidis, utrinque rubedine suffusis, praesertim junioribus; pedunculis gracilibus, subhispidis, urceolis globosis, segmentisque subintegerrimis hispido-glandulosis, floribus plenissimis cernuis, maxime explanatis, petalis roseis, parvis imbricatis conchaeformibus nec undulatis. T.

In Anglia communiter ab hortulanis vocatur Shailer's Province Rose. Icon apud Andrewsium in Ros. fasc. 21. sub nomine R. gracilis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pumila blanda.*

Distinguitur aculeis caulinis sparsis, gracilioribus, subrecurvis, foliolis ovatis, obtusis tenue dentatis, apice serratis, subtus villosis albicantibus; pedunculis, petiolis calycibusque glanduloso-hispidis; floribus corymbosis, magnis, plenis, semiexpansis, centro pannosis, roseis, urceolis ellipticis, vel subglobosis, segmentisque calycis pinnatifidis prolongatis, non spathulatis. T.

Haec Thoryo apud Reduteum est R. Gallica β semiplena. Icon in Andr. Ros. fasc. 6. Similis quodammodo R. Damascenae Belgicae. Andrew fasc. 7 aliam habet subvarietatem, minus aculeatam, minus adhuc plenam, saturate roseam sub nomine R. provincialis semiduplicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *arvìna Krock.*

R. urceolis, fructibusque glabris, pedunculis hispidis; foliolis ovalibus utrinque glabris, inaequaliter glanduloso — serratis, petiolis subpubescentibus, glanduloso-hispidis, aculeatis; caule inferne inermi, superne aculeato: aculeis rectiusculis, raris, substipularibus. Rau Enum. p. 106.

Rosa arvina Krocker Fl. siles. II. p. 150. no. 787.

Affinis dicitur R. pumilae, et forte mera ejusdem varietas; differt tamen ab illa urceolis, fructibusque glabris, caule superne aculeis rarioribus, substipularibus munito, foliolis utrinque glabris. Magis discrepat a R. marginata Wallrothii (quae R. Nankinensi affinis) nempe foliolis ovalibus, laciniis cal. appendiculatis, corolla purpurascente, cauleque superne aculeis rarioribus munito.

Hab. in Silesia et Bavaria. Fl. Jun. et Jul. ♂.

Frutex pedalis, raro altior, inferne inermis, superne aculeatus. Petioli pube rarissima praediti, glandulis stipitatis fere obvallati. Stipulae utrinque glabrae, margine glanduloso-ciliatae, Foliola ovalia, subtus pallidiora, utrinque glabra, duplicato-serrata, serraturis rubro marginatis, glandulis stipitatis terminatis. Pedunculi solitarii, raro bini. Urceolus subcoloratus. Laciniae cal. appendiculatae, intus tomentosae, extus glanduloso-hispidae. Flores purpurascentes, odorati. Fructus ovati, glabri.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Waitziàna.*

R. tubo calycis (urceolo) ovato, glabro, segmentis appendiculatis, dorso setosis, pedunculo hispido; foliolis subrotundo-ovatis, simpliciter serratis, inodoris, glabris; ramulis floriferis glandulosis, aculeatis, aculeis uncinatis. Waitz.

Rosa Waitziana. Waitz in litt. ad amicorum sententiam.

Frutex 4—6 pedalis, surculis purpureo-fuscis, superne incurvis. Aculei aequales, validi, uncinati, sparsi, albidi. Stipulae glabrae, margine glandulis atropurpureis serrulatae. Petioli glandulis petiolatis hispidi, aculeati, aculeis uncinatis; juniores tomentosi, adulti calvescentes; folia inodora 3—4 juga, foliolis ovatis, acutis, inaequaliter argute serratis, serraturis intermediis minoribus, apice glandulis petiolatis terminatis. Pedunculi subterni, glanduloso-hispidi. Urceolus ovatus, glaber, vel basi hispidus, segmentis calycinis appendiculatis, dorso setosis. Flores magni, ex carneo rosei, disco elevato. Styli hirsuti, subexserti. Stigmata conglobata. Fructus ovatus, apice attenuatus, coccineus. Waitz.

Hab. prope Altenburg in Saxonia. Ad mentem cell. Waitzii hybrida quodammodo inter R. caninam et austriacam. Pro meo arbitrio haec species proxima est R. arvinae Krock. longeque diversa tam a R. canina grandiflora Thy., quam etiam a R. grandiflora Wallr. et similibus. Nomina auctorum, qui hanc speciem nomine inventoris decorarunt, ignoro. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sylvàtica Tausch.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis pedunculisque hispidis; floribus cymosis; petiolis piloso-glandulosis, aculeatis; foliolis ovatis, acutis, glandulose, inaequaliter, grosse serratis, subtus pilosis; caule hispido, aculeatove. Tausch.

Rosa sylvatica Tausch in Diar. bot. Flora dicto Ann. 2. t. II. p. 464.

Frutex 4—5 pedalis. Aculei sparsi, uncinati. Ramuli juniores praeterea aculeis tenuibus, rectis illis pedunculorum similibus armati. Stipulae latissimae, lanceolatae, serrulatae, glandulosae. Foliola maxima, basi subcordata, pedicellata, subtus pallidiora, venosa, tenuiter pilosa et glandulosa. Flores magni colore R. centifoliae, longe pedunculati in cymis compositis. Laciniae calycis alternatim semipinnatifidae.

Hab. in umbrosis, collinis in Bohemia. Fl. Jun. Jul. Ad mentem denominatoris affinis R. pumilae. Differt autem magnitudine aucta, stipulis serrulatis, foliolis maximis, inaequaliter, grosse serratis, laciniis calycis alternatim semipinnatifidis. An sufficienter distincta? Fructus desideratur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pygmàea M. Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque hispidis, ramulis petiolisque hispido-aculeatis, caulibus subinermibus, foliolis (mediocribus) ovatis, acutis, argute glanduloso-biserratis, glabriusculis, subtus glaucescentibus; fructibus subovatis. M. Bieberst.

Rosa pygmaea M. Bieberst. Fl. taur. cauc. I. 397. et III. 342. Ej. Cent. pl. rar. ross. I. t. 2. Besser Catal. hort. crem. a 1816. p. 118.

Rosa alpina Pallas ind. taur.

Frutex interdum vix spithamalis. Caulis fusco-purpureus, aut inermis, aut vario modo plus minus aculeatus, aculeis inaequalibus, etiam validioribus in ramis annosis. Ramuli floriferi hispiduli. Foliola angustiora quam in R. pumila, et acutiora, argute serrata subvillosa. Flos speciosus simplex colore R. centifoliae. Segmenta calycis longe apiculata et frequenter appendiculata. Styli hirsuti. Fructus R. caninae. M. B.

Hab. in Tauriae herbidis campestribus: in collibus circa Bosphorum frequeus. Fl. cum R. pumila.

L. B. Marschall a Bièberstein cum hac conjungit R. livescentem Besseri (v. Ej. catal. h. cremen. a. 1811. suppl. 4. p. 19. et catal. d. a. 1816. p. 118.) Quaerit etiam, an hujus loci sit R. austriaca Crantz? Juxta specimen siccum a Stevenio communicatum, etsi minus perfectum, non puto esse hujus loci. Etenim in specimine dicto est caulis erectus, totus inermis, calyx non tam magnus, et pedunculi glabri, vix 2, 3 setis glanduliferis muniti. Cetera convenirent. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *livèscens Besser.*

R. calycis tubo (urceolo) elliptico, gracili, utrinque attenuato, basi, laciniis, pedunculis petiolisque glanduloso-hispidis, caule pruinoso, petiolisque remote aculeatis; aculeis subteretibus, subrectis, foliolis ellipticis, acutis, glabris, subtus glaucis, biserratis, Besser,

Rosa livescens Bess. Catal. hort. cremen. a. 1811. Suppl. 4. p. 19. cat. a. 1816. p. 118.

Differt a R. pygmaea, cui proxime affinis, et quacum L. B. Marsch. a Bieberstein in sua Flora taur. caucas. III. p. 343. in unam speciem conjungit: urceolis oblongis, more R. mollissimae basi et apice constrictis, ramulorum hispiditate parciori, aculeis contra caulinis validioribus, nec adeo caducis, floribus minoribus.

Hab. in Polonia australi, in Bessarabia, nec non in Tauria. In ulteriores differentias inquirendum est. ♂.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *austrìaca Crantz.*

R. urceolo obovato, segmentis calycinis corolla longioribus pedunculisque aculeato-hispidis, ramulis floriferis aculeatissimis, corollis magnitudine mediocribus, foliolis subrotundis, discoloribus. T.

Rosa austriaca Crantz. austr. p. 86. Pollich. Fl. Palat. II. 30.

Rosa pumila Jacq. Fl. Austr. II. p. 59. t. 198. Schultes Oest. Fl. ed. 2. II. 73. Wallr. Ann. bot. p. 62. Reit. et Abel. Holzart. Forts. fasc. 1. no. 25.

Rosa hispida Münchhaus. Hausv. V. p. 281. no. 15. Schrank baier. Fl. II. p. 41.

Rosa pumila β hispida. Rau Enum. p. 116.

Frutex repens, passim aculeis inaequalibus munitus. Aculei majores, validi, uncinati, recurvi, alii minores et recti. Ramuli floriferi adscendentes, toti aculeatissimi, setis glanduliferis copiose intermixtis. Petioli pubescentes, glandulis tecti, subtus aculeolati. Stipulae lineares undique glandulosae. Folia 2juga, foliolis orbiculatis vel ellipticis, plerisque obtusis, supra viridibus glabris, subtus albo-tomentosis, glandulosis, subduplicato-dentatis, denticulis omnibus glanduliferis. Pedunculi terminales, solitarii, uniflori, hispido-aculeati. Segmenta calycis attenuata, hinc inde pinnatifida, corolla multo longiora, hispida. Petala saturate rosea, unguibus albicantibus, holosericeo-micantia. Fructus magni, phoenicei, pyriformes, saepius hispido-pungentes.

Hab inter frutices, in desertis Austriae, Bavariae et Palatinatus. Flores duplo et fere triplo minores quam in R. pumila, magnitudine circiter R. eglanteriae. Sine dubio species diversa a R. pumila. T.

NB. Cell. Waitz in litt. serius nos monuit R. Gallicam, pumilam et austriacam ne quidem pro varietatibus inter se sufficienter differre. Sed sic saltem distingui solent, quemadmodum hoc loco distinxi, et plures aliae species hujus seriei non melius distinctae sunt, quas tamen referre oportet. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *austriaca multiplex.*

Distinguitur foliolis quibusdam maximis, oblongis, subcoriaceis, floribus fastigiatis, parvis, plenis, expansis centro pannosis, saturate roseis; segmentis calycis maxime glandulosis, pinnatifidis, expansis, nec reflexis, corolla longioribus. T.

Icon apud Andreusium in Ros. fasc. 2. sub nomine R. parviflorae provincialis. Anglis ad testimonium auctoris mox nominati haec The Kingston seu Blandford Rosa vocatur. Sub hoc nomine cell. Thory apud Redout. Ros. T. I. p. 77. intelligit R. centifoliam *s* minorem; quae nobis R. humilis Meldensis, et a praesenti penitus diversa est. Aliam varietatem, praesenti affinem habet cell. Redoutée in Ros. T. III. ad pag. 77. sub nomine R. Gallicae Agathae incarnatae, sepalis subfoliaceis distinguendam.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *austriaca dianthiflora.*

Distinguitur aculeis ramulorum floriferorum gracilibus (tamen longis), tandem setaceis, versus extremum copia increscentibus, stipulis perangustis, glanduloso-ciliatis; foliolis majusculis (tamen R. centifolia caryophyllaea duplo minoribus) ovatis, utrinque acutis, discoloribus subtus villosis, tenuius serratis; pedunculis urceolisque ellipticis glanduloso-hispidis; segmentis calycinis corolla majoribus, flexuosis, pinnatifidis, glanduloso-ciliatis; floribus plenissimis, expansis, roseis, centro flavescentibus, odore Dianthi caryophylli, petalis parvis, crispis, pannosis, plerisque apice unguiculatis. T.

Ex Hollandia translata in Angliam. A R. centifolia caryophyllea maxime diversa, et ex omnibus hujus seriei speciebus nulli tantopere affinis, quam R. Austriacae. Icon apud Andreusium in Rosarum fascic. 2gno sub noc. R. Dianthiflorae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *hybrida T.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, pedunculisque hispidis et glandulosis: foliis magnis et parvis: foliolis ovato-acutis, serratis: floribus plerumque fasciculatis: caule humili, fruticoso, ad basin aculeato. Andrew.

Rosa provincialis hybrida. Andr. Roses fasc. 27.

Frutex humilis et quasi hybridus de R. humilis varietate Meldensi et alia R. gallicae, nata in horto Dni. Irbin sub circumstantiis non satis cognitis, et in hortis anglicanis nota sub nomine Spong-Rose. Forte tamen species distincta. Caulis inferne aculeatus, aculeis rectis, gracillimis, sursum et copia et magnitudine decrescentibus. Foliola ovata, utrinque acuta, subtus glaucescentia, argute serrata; petioli aculeati; stipulae perangustae, integrae; flores umbellati, in specimine citato pleni, subexpansi, mediocres, rosei; urceolus globosus; segmenta maxima, profunde pinnatifida, non spathulata, glanduloso-hispida. Proxima R. humili Meldensi; sed allegatis characteribus tamen sufficienter diversa videtur. R. hybrida Dietr. est R. centifolia bipinnata, ergo specie bene distinguenda. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES II.

LAWRANCIANA.

Frutices parvi, graciles, parviflori, parvifolii; innumeris glandulis et aculeis maxime inaequalibus muniti. Foliola subtus villosa vel tomentosa. Urceoli ovati.

Species: R. pomponia, Red. R. Ehrhartiana, T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pompònia. Red.*

R. germinibus (urceolis) subovatis, pedunculis petiolisque glanduloso-hispidis; caule aculeis subrectis; foliolis ovatis, rugosis, subtus pubescentibus; floribus gemellis. Thory.

Rosa pomponia D. C. Fl. franç. IV. 443. Red. Ros. I. 65. c. ic. et II. 57. c. ic.

Rosa provincialis. Ait. h. k. ed. 2. III. 261. Willd. Sp. pl. II. 1070. Deslonch. fl. Gall. I. 295. Botan. Mag. t. 407. M. Lawr. Ros. t. 8. etc.

Rosa Burgundiaca pulchella Pers. Syn. II. 18.

Rosa gallica var. *s.* Poiret Enc. VI. 278.

Rosa centifolia pomponia Delaun. Bot. cultiv. nov. ed. 21. var. 10. Nouv. Duham. VII. p. 37.

Frutex digitalis-2 pedalis; aculei in ramis sparsi, graciles, rectiusculi. Folia bijuga, foliolis ovalibus, rugosulis, subtus tomentosis, simpliciter serratis, subciliatis, margine glandulosis; petiolis villosis. Flores subgemini, vel corymbosi, suaveolentes, magnitudini fruticis proportionati, rubri. Pedunculi hispidi, et veluti calyx appendiculatus, glandulis pedicellatis, viscosis muniti. In hortis vix nisi floribus plenis habetur.

Respectu coloris, plenitudinis, magnitudinis et armaturae plures varietates habentur. Interim non omnes a diversis auctoribus huc relatae ad hanc speciem pertinent, sed vel R. gallicam vel R. Ehrhartianam respiciunt.

Praetuli nomen R. pomponiae, quia sub nomine R. provincialis plures species veluti R. gallica, pumila, Austriaca, humilis, centifolia, Ehrhartiana, pomponia etc. permixtae habentur.

Hab. in Hispania, Gallia et Italia. Analoga praeterea etiam R. rubiginosae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Ehrhartiàna T.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, subglabris, pedunculis glandulosis, petiolis cauleque tenuissime aculeatis, foliolis rugosis, subtus villosiusculis, ovatis, glanduloso-serratis. Willd.

Rosa parvifolia Ehrhart. Beitr. VI. p. 97. Willd. Sp. pl. 1078. Andr. Ros. fasc. 9. Lindl. Ros. no. 42.

Rosa Remensis Desf. Cat. 175. De Cand. Fl. Fr. 3708.

Rosa burgundiaca Rössig. t. 4.

Frutex pygmaeus. Aculei sparsi. Flores subsolitarii, laterales, terminalesque, parvi, purpurei, aequales, pleni. Foliola quina, parva, ovata, acuta, subtus villosa, simpliciter serrulata. Petioli glandulosi subtus aculeati; stipulae glanduloso-ciliatae. Pedunculi glanduloso-hispidi. Urceolus subglobosus, et calycis laciniae appendiculatae, basi glandulosae.

Affinis R. pomponiae. In hortis saepe R. ranunculiformis appellatur.

Hab. in Europa australi. Cum jam alia existat R. parvifolia, nomen mutavi, et ab amico diu jam defuncto, hujusce speciei primo observatore novum creavi. Andrew in Ros. fasc. 7 habet varietatem pulcherrimam, plenam, roseam, centro pannosam purpuream sub nomine: R. nana minor; eodem dein fasc. aliam explanatam s. n. R. nana minor var. aequaliflora, floribus maxime aequalibus i. e. horizontaliter explanatis et aculeis rariori-bus diversam.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Ehrhartiana muscosa.*

Distinguitur caule humili aculeatissimo, vel potius hispidissimo, aculeis parvis, subaequalibus, plerisque glanduliferis; petiolis glanduloso-hispidis, aculeatisque, foliolis parvis, ovatis, acutis, serratis, stipulisque glanduloso-ciliatis, floribus paniculatis, parvis, pedunculis glanduloso-hispidissimis, setis supremis tandem luxurie in lepram abeuntibus; urceolis vix conspicuis, calycibus totis leprosis, pinnatifidis; corollis roseis, plenissimis, explanatis, petalis imbricatis. T.

Icon apud Andr. in Ros. fasc. 31. sub nomine R. nanae muscosae. Minime est R. humilis Meldensis; nam in hac corollae convolutae sunt, et cetera omnia diversa.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Ehrhartiana punicea.*

Distinguitur caule vix pedali ramosissimo, aculeis minus copiosis, superne numero decrescentibus, rectis, subaequalibus, fere setaceis; foliis copiosissimis, foliolis minimis 3—8 lineas longis ovato-lanceolatis, subtus pubescentibus; floribus subsolitariis, mediocriter magnis, plenis, penitus explicatis, ranunculiformibus, caerulescenti-purpureis. T.

Icon apud Andr. in Ros. fasc. 8. sub nomine R. parvifoliae. Differt a R. Ehrhart. Agatha foliolis triplo minoribus, urceolis non turbinatis, floribus magis explanatis unicoloribus.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Ehrhartiana minima.*

Distinguitur caule vix semipedali, ramosissimo, ramulis patentibus, sparse et hispido-aculeatis, pedunculis elongatis, hispidis, foliolis minimis 2—5 lineas longis, floribus diametro vix pollicaribus, plenis, ranunculiformibus, roseis, centro purpurascentibus. T.

Icon apud Andr. in Ros. fasc. 10. sub nomine R. nanae minimae. Non est R. pomponia γ bicolor Thorii; nam flores non sunt convoluti, sed penitus expansi.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Ehrhartiana inermis.*

Distinguitur caule, pedunculis, calycibusque inermibus, glabris, nudis; floribusque majoribus, ranunculaceis, roseis, pedunculis elongatis, subcymosis. T.

Icon apud Andr. in Ros. fasc. 34. sub nomine Rosae pulchellae, quam cell. auctor pro nova specie habet. Dicit, illam e Gallia adlatam fuisse.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES III.

DU PONTIANA.

Urceoli turgidi, obovati, collo contracti; foliola subtus plerumque pubescentia vel tomentosa, eglandulosa; plantae multiflorae, sed flores saepe imperfecte vel penitus non expanduntur.

Species: R. sulphurea Ait. R. turbinata Ait. R. tuguriorum Willd. R. campanulata Ehrh. R. rapa Bosc. R. Rosenbergiana Thory. R. Orbessanea Thory. R. Willdenowii. T. R. adenophylla. Willd. R. inermis Delaunay. R. multiflora Thory. R. Thoryi T. R. Thunbergii. T. R. cymosa. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. urceolis hemisphaericis glandulosis, laciniis calycis inaequalibus, pedunculis glabris, foliolis obovatis, obtusis, stipulis apice laceris. T.]

Rosa sulphurea Ait. h. k. ed. 1. II. 201. Ej. ed. 2. III. 258. Willd. Sp. pl. II. 1065. Pers. Syn. II. 47. Poiret Encycl. VI. 289. Miss. Lawr. Ros. t. 77. Red. Ros. I. p. 29. c. ic. Andr. Ros. fasc. 17.

Rosa glaucophylla. Ehrh. Beitr. II. 69.

Caulis 4—6 pedalis (vidi 10 pedalem et ultra), ramosissimus. Aculei numerosi, inaequales, majores uncinati. Folia 3—4 juga, foliolis plerisque obovatis, ceteris ovalibus, apice obtusis, simpliciter serratis, eglandulosis, pubescentibus, glauco-viridescentibus, subparvis. Petioli tenuissime aculeolati. Stipulae antice irregulariter incisae s. lacerae et nonnunquam in foliola infima notabili metamorphosi transeuntes. Flores (nonnisi plenissimi habentur in hortis !) solitarii, inodori, laete flavi, nutantes, breviter pedunculati. Urceoli magni, semiglobosi, familiam primo adspectu indicantes. Laciniae calycis glabrae, aliae simplices, aliae inciso-dentatae vel pinnatifidae. Fructus ob plenitudinem florum nunquam edit. Imo in plerisque hortis raro flores perfecte explicantur, sed vel monstrosi et corrupti apparent vel praemature decidunt. Sed semel vidi in horto rustico sub altis arboribus pomaceis in valle subhumido fruticem plusquam 10-pedalem, qui simul et semel ultra millenos flores optime explicatos protulit.

Habitare dicitur in Oriente. Affinis R. turbinatae, rapae, inermi et sim. Foliolis R. kamtschaticam imitat. Flores forma R. centifoliae persimiles, colore nunquam degenerantes. Datur varietas pumila (sec. Thory in Red. Ros. T. II. p. 8.) nisi forte per errorem varietas R. borealis ab eodem pro tali habebatur? T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *turbinàta Ait.*

R. calycis tubo (urceolo) turbinato, medio constricto, basi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovatis, simpliciter serratis, subtus discoloribus, pubescentibus; petiolis villosis; ramulis floriferis inermibus; aculeis caulinis sparsis. Rau.

Rosa turbinata Ait. h. k. ed. 1. II. 206. Ej. ed. 2. III. 264. Pers. Syn. II. 49. Wallr. Ann. bot. p. 63. Rau Enum. ros. p. 48. et 167. Miss Lawr. Ros. t. 69. Red. Ros. I. p. 127. c. ic. Jacq. Hort. Schönbr. IV. p. 8. t. 415. Ejusd. fragm. bot. p. 71. t. 107. Lindl. Ros. no. 43.

Rosa francofurtana. Gmel. fl. Bad. II. p. 405. Borkhausen Holzart. p. 312.

Frutex 5—9 pedalis et ultra, erectus et etiam scandens. Rami inferne aculeati, aculeis confertis, sparsis, partim rectis, partim uncinatis, inaequalibus. Ramuli floriferi inermes. Petioli villosi, hispido-aculeolati, glandulosi. Stipulae amplae, acuminatae, discolores, supra vix, subtus aperte pubescentes, glandulososerrulatae. Folia 2—3 juga, foliolis majoribus ovatis, acutis, eglandulosis, simpliciter serratis, supra et subtus uti stipulae. Pedunculi 1—3 corymbosi, uniflori, subglanduloso-hispidi, bracteati. Urceolus superne eminenter constrictus, glaber, glanduloso-hispidus, setis reflexis. Laciniae calycinae incano-tomentosae, glandulosae, longe acuminatae, saepius appendiculatae, appendiculis linearibus. Corolla speciosa, flaccida, illae R. pumilae simillima plerumque duplicata, raro plena, R. centifolia magis rubicunda. Longum per tempus flores non explicat. Rarissime fructificat. Fructus maturi obconici apice constricti, miniacei, basi hispidi, calyce persistente coronati, fructibus R. caninae fere duplo majores.

Hab. in Germania, Helvetia, Gallia, frequens in hortis, et ad tuguria construenda aptissima.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *tuguriòrum Willd.*

R. germinibus (urceolis) subrotundis, glabris, calycibus pilosis, pedunculis hispidis, petiolis villosis aculeatis, caule aculeis sparsis. Willd.

Rosa tuguriorum Willd. Enum. h. Ber. I. 544. Poiret Encyclop. Suppl. IV. 716. Dietr. Lexic. Nachtr. VII. 261. Lindl. Ros. no. 92.

Patria ignota; in horto Berolinensi colitur sub dio. ♂. Species ad exstruendum casas vel tuguria aptissima. In lingua germanica Tapeten-Rose audit. Willd.

Sub nomine germanico Tapetenrose in hortis germanicis ubique habent R. turbinatam. An ergo haec alia? Cell. Willdenowius videtur R. campanulatam loco R. turbinatae habuisse, et tunc vera R. turbinata illi ut nova species apparere debuit. Cum tamen haec mea opinio nondum sufficienter demonstrata sit, speciem Willdenowianam hoc loco, qualis demum cunque sit, conservare aliisque observandam commendare consultum imo necessarium duxi. A R. arvensi autem contra mentem Lindleyi toto coelo diversa. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *campanulàta Ehrh.*

R. caule aculeis recurvis, foliis villosis, petiolis aculeatis, pedunculis hispidis, calyce hispido, tubo (urceolo) campaniformi. Ehrh.

Rosa campanulata. Ehrh. Beytr. VI. 97. Ej. plantag. p. 24. Red. Ros. II. p. 95. c. ic.

Rosa francofurtana. Münchh. Hausv. V. p. 24.

Rosa turbinata. Willd. Sp. pl. II. 1073.

A quibusdam habetur pro mera R. turbinatae varietate, quae tamen, pro diversitate opinionum, ab aliis pro specie agnoscitur. Differt a R. turbinata vulgari ramis floriferis aculeatis, a R. rapa foliis non lucidis, a R. Rosenbergiana ramis multo minus aculeatis. Frutex bipedalis. Flores corymbosi, albi vel rosei, suaveolentes; laciniae calycis subpinnatifidae.

Patria ignoratur; creditur Germania. In hortis habetur floribus plenis.

Ingenue dicendo, modus urceolo intumescendi, quem Rosae hujus sectionis observant, mihi minime originarius esse videtur, sed potius gradus quidam altior perfectionis, quem omnis rerum natura in creaturis suis per degenerationes intendit. Videmus inter novissimas modificationes et varietates specierum de serie R. indicae, rubiginosae atque villosae quasdam accedere ad conformationem R. turbinatae, quemadmodum aliae typum R. muscosae, et iterum aliae illum R. pumilae imitant. Illae species, quae jam dudum exortae, turbinatae perstiterunt, non amplius reduci queunt ad species originarias, quas a secundariis et posterioribus discernere non valemus. Debent itaque in singularem divisionem colligi, et ad normam huic analogam discerni, qua species aliarum serierum distinguimus. T.

R. campanulata in hortis nonnunquam sub nomine R. Sanguisorbaefoliae habetur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *rápa. Bosc.*

R. germinibus (urceolis) turbinatis, apice constrictis, pedunculisque glanduloso-hirsutis; foliolis lucidis, ovatis, basi apiceque acutis; laciniis calycinis corolla longioribus. Thory.

Rosa rapa Bosc. Nouv. Cours. XI. 247. Redout. Ros. II. p. 7. c. ic. Poiret Encycl. Suppl. IV. 710. Lindl. Ros. no. 10.

Rosa fraxinifolia. Delaun. Bot. cultiv. ed. 2. no. 28.

Rosa turgida Pers. Syn. II. 49.

Frutex R. turbinata maxime affini decisive minor, fere penitus inermis. Folia 3—4 juga, foliolis ovali-lanceolatis, sublucidis, utrinque glabris, infimis alternis minimis. Stipulae latiusculae, integrae, apice serrulatae, divergentes; petioli et nervi foliorum principales plerumque rubescentes, aculeati. Flores (pleni) subsolitarii, terminales, cornui, rubri. Pedunculi glanduloso-hispidi. Urceoli maximi, semiglobosi, hispidissimi. Laciniae lanceolatae, appendiculatae, apice elongatae, corolla longiores. Fructus globosi (hispidi?).

Hab in Scotia. Non infrequens in hortis, sed flores uti in omnibus affinibus saepe imperfecte explicantur. Hortulanis plerumque R. turneps et R. fraxinifolia vocatur. Ad hanc speciem cell. Steudel (Nomencl. Botan. p. 703.) R. fraxineam Willd. refert. Sed de veritate hujus Synonimi ideo dubitandum, quod R. fraxineae urceoli debeant esse elliptici glabri. Variat floribus semiplenis et plenis. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Rosenbergiàna Thory.*

R. germinibus (urceolis) oblongo-turbinatis; foliolis ovatis, subtus subpubescentibus; floribus flaccidis, paniculatis; petalis rarissime explicatis; caule aculeatissimo. Thory.

Rosa Rosenbergiana Thy. Prodr. du Rosier p. 121. Red. Ros. II. p. 113. c. ic.

Frutex 2 — 3 pedalis. Rami aculeatissimi, aculeis rectis flavidis, maxime inaequalibus. Folia 2 — 3 juga, foliolis ovatis, crenato-dentatis, supra glabris, subtus tomentosis. Petioli tomentosi, subtus tenue aculeati. Stipulae integerrimae. Flores fastigiato-cymosi, terminales, copiosi, pleni, rarissime explicati, sed plerique praemature sphaceloso-nigricantes, caduci, albi, intermixta parcissima purpura. Pedunculi et calyces turbinati, hispidi. Laciniae calycis integrae, acuminatae vel etiam spathulatae, imo foliolatae. Fructus nondum observati. An flores odorati?

Patria ignota. Videtur species in hortis nata, proxima R. Orbessanae et campanulatae. Affinis etiam R. turbinatae. R. rapae atque R. inermi. Flos similis R. muscosae variegatae. Nomen in memoriam Jo. Car. Rosenberg, qui jam ante duo saecula egregiam Rhodologiam scripserat, quae pro hoc aevo de ingenti diligentia et eruditione sui auctoris testatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Orbessanea Thory.*

R. germinibus (urceolis) turbinatis; foliolis glabris, subtus glaucis; petiolis glanduloso-villosis, subaculeatis; caule aculeatissimo. Thory.

Rosa orbessanea Red. Ros. II. p. 8. et pag. 21. c. ic. Lindl. Ros. no. 100.

Frutex 1 — 2 pedalis, ramosissimus. Rami aculeis majoribus minoribusque densissimis obsiti. Petioli glanduloso-villosi, aliquando aculeis 1—2 minimis praediti. Stipulae sat magnae, cuspidatae, margine subdenticulatae. Foliola quina, septena vel novena, elliptica, subtus pallidiora, utrinque glabra, aequaliter serrata. Pedunculi gemini vel terni, raro solitarii, setis confertissimis obducti. Urceolus turbinatus, glaber, basi nonnunquam glanduloso-hispidus, coloratus. Laciniae calycinae, corollam inapertam superantes, integerrimae, apice cuspidatae vel dilatatae, intus cano-tomentosae, extus glaberrimae, etiam coloratae. Corolla duplicata, ex albo rosea, sat magna, odorata, sed raro explicata. Fructus (immaturus) subglobosus. Thory.

Haec species nata est in arboretis Sevrensibus in Gallia. Nomen dedicatum memoriae Marchisi de Orbessan, nati 1709, mortui sub finem ejusdem saeculi, qui etiam tractatum egregium de Rosis scripserat, quem acta Academiae Tolosatiensis (Toulouse) conservarunt. Cell. Lindley hanc declarat pro varietate R. Gallicae.

Thory l. c. p. 7—8. familiolam colligit rosarum turbinatarum et huc refert: 1mo R. turbinatam; 2do R. rapam; 3tio R. inermem; 4to R. Rosenbergianam; 5to R. campanulatam; 6to R. Orbessaneam, et 7timo R. sulfuream.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Willdenowii. T.*

R. germinibus (urceolis) subrotundo-obovatis, pedunculis calycibusque glanduloso-hispidis, petiolis glanduloso-pubescentibus, inermibus, aculeis caulinis sparsis. Willd.

Rosa pulchella Willd. Enum. h. ber. I. 545. Lindl. Ros. no. 93.

Affinis R. turbinatae, sed caulis triplo minor, flores parvi, germinis forma diversa, petioli non aculeati, et foliola subrotunda, quae in R. turbinata subrotundo-ovata. Willd.

Cum jam existat R. pulchella, debebat nomen mutari. Utinam defunctum amicum possemus Rosis condecorare! Cell. Lindley l. c. interrogat, an haec sit R. Meldensis (R. humilis Meldensis nobis!) an alia R. Gallicae varietas? Responsio exspectatur ab iterata cultura. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *adenophylla Willd.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, calycibus pedunculisque glanduloso-hispidis, petiolis glanduloso-pubescentibus inermibus, foliolis simpliciter serrulatis, subtus glaucis, margine glandulosis, aculeis ramorum sparsis. Willd. Enum. hort. ber. I. 546.

Rosa adenophylla Poir. Encycl. Suppl. IV. 712. Dietrich. Lex. Nachtr. VII. 234. Lindl. Ros. no. 91.

Affinis R. turbinatae et Willdenowii (R. pulchellae W.) a quibus tamen differt urceolis ovatis, foliolis rigidioribus, simpliciter, tenuiterque serratis. Flos simplex, magnus, ruber, petalis emarginatis.

Patria ignota. Colitur in horto bot. berolinensi. ♂. Lindleyus suspicatur affinitatem cum R. Ehrhartiana.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *inèrmis Delaunay.*

R. germinibus (urceolis) turbinatis; foliolis glabris, subtus glaucescentibus; petiolis hirsuto-glandulosis, scabris, infra subaculeatis; caule inermi. Thy.

Rosa inermis. Red. Ros. II. p. 93. c. ic.

Frutex valde frondosus 4—5 pedalis; rami virides, glabri, absolute inermes. Folia 3—4 juga, saepe cum foliolo solitario ad basim; foliola (majuscula) elliptica, utrinque glabra, inaequaliter dentata, subtus pallidiora; petioli scabriusculi, paucissimis aculeolis subtus armati; stipulae subdentatae, dilatato-divergentes, margine glandulosae. Flores subsolitarii, terminales. Pedunculi elongati, undique tecti glandulis pedicellatis. Urceolus crassus, turbinatus, basi similiter glanduloso-hispidus. Laciniae calycis inaequales, tres pinnatifidae, duae simplices, ante plenariam explicationem flore longiores, margine ciliatae, intus tomentosae. Styli liberi. Nonnisi floribus pulcherrime plenis habetur in hortis.

Cell. Du Pont hanc pro specie indica habebat, et R. chinensem vocabat. Sed urceolus aperte demonstrat, esse hanc Rosam in Helvetiae alpibus indigenam, quam cell. Delaunay R. inermem appellaverat, et quae a R. alpina turbinata Desv., a R. alpina multiplici Degrasse et R. turbinata Vill. non differt. R. inermis Andr. Ros. fasc. 11. est R. Andrewsii T.

Haec Rosa interea in hortis frequenter obvenit et pro specie habetur; opportet ergo illam perfecte discernere, etiamsi ad mentem aliorum quorumdam sit mera R. turbinatae varietas. Sunt enim similes permultae, quas nominibus specificis distinguere solemus, quamquam non melius a natura ipsa discretas. Saltem inflorescentia penitus alia, flores subconvoluti, urceolus minor, et foliola non subtus pubescentia uti in R. turbinata; verbo, pro specie ceteris analoga sufficienter diversa videtur. Variat floribus roscis et subalbis. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *multiflòra Thory.*

R. germinibus (urceolis) subovatis, pedunculisque villosis, inermibus; foliolis discoloribus, supra glabris, subtus pubescentibus; stipulis bracteisque pectinatim-subpartitis; caulibus scandentibus petiolisque aculeatis; pedunculis multifloris. Thy.

Rosa multiflora. Red. Ros. II. p. 67. c. ic. Thory ap. Red. l. c. p. 69. Andr. Ros. fasc. 16. Sims in Bot. Mag. t. 1059. (excl. Syn. Ait. h. k. ed. 2. III. 265; et Willdenowii Synonimo.) Lindl. no. 66.

Rosa florida Poiret in Encycl. Suppl. IV. 715.

Frutex ramis scandentibus, glabris, rectis, munitis aculeis sparsis, rectis, minutis, laedentibus. Foliola simpliciter serrato-dentata. Petioli pubescentes, paucis aculeolis uncinatis armati; stipulae margine ciliato-pectinatae distinctissimae. Flores parvi, rosei, suaveolentes, plerumque pleni, racemoso-paniculati, terminales; bracteae margine stipulis subsimiles. Urceoli vix ovati, sed potius globosi, viridi-pubescentes. Laciniae calycis pubescentes, 2 simplices, 3 pinnatifidae. Styli liberi, pubescentes. Fructus turbinatus, coccineus, glaber, calyce caduco.

Non audeo adducere plura Synonima; etenim valde dubito, merito huc relata fuisse; imo ipsam Redoutei varietatem platyphyllam ceu litigiosam excludo, R. vero multifloram Thunbergianam, mihi R. Thunbergii dictam, ceu alienam speciem, etsi nondum sufficienter observatam, cujus loco alii descripserunt R. praesentem, aliis explorandam atque illustrandam commendo.

Hab. in China. Species distinctissima. Maxime analoga R. turbinatae esse videtur. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Thòryi. T.*

R. urceolis hemisphaericis, calycisque segmentis inaequalibus, subappendiculatis, pedunculisque pubescentibus, floribus racemosis erectis, stipulis coloratis pinnatifidis, aculeis validis, substipularibus, geminis. T.

Rosa multiflora. *δ.* platyphylla. Thory in Red. Ros. II. p. 69. c. ic.

A R. multiflora, cui ceterum valde affinis, differt statura robustiori, aculeis rarioribus, geminatis, substipularibus, fortioribus, stipulis apprime pinnatifidis, nec ciliato-pectinatis; porro petiolis subinermibus, foliolis quadruplo majoribus, ellipticis, tenuiter denticulatis, plerisque obtusis, et tandem floribus paucioribus, 3plo majoribus, expansis, saturate roseis, qui in R. multiflora tantum pallide rosei.

Colitur in hortis, et non nisi floribus plenis habetur. Patria forte R. multiflorae.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. urceolis ovatis, pedunculisque inermibus, villosis, caule petiolisque aculeatis, panicula decomposita patente, floribus parvis, albis. T.

Rosa multiflora. Thunb. jap. 214. Willd. Sp. pl. IV. 1077.

Caulis fruticosus, erectus, ramosus. Rami teretes purpurei, aculeati, glabri, erecti. Aculei sparsi, recurvi. Folia alterna, petiolata, pinnata. Foliola opposita, rarius alterna, sessilia, ovata, serrata, supra viridia, glabra, subtus pallida, villosa. Petioli villosi, aculeati, aculeis sparsis, minutis, recurvis. Flores terminales, paniculati, magnitudine florum Rubi. Panicula decomposita patens. Pedunculi et pedicelli villosi, inermes. Calyx valde hirsutus villo albo, imprimis margine. Corolla alba. Germen (urceolus) villosum, ovatum, inerme. Differt optime ab omnibus aliis Rosis, floribus parvis paniculatis, pedunculis villosis. Thunb. l. c.

Hab. in Japonia. Sine dubio affinis nostrae R. multiflorae, sed differt panicula decomposita, caule erecto, nec scandente, calycibus albo-tomentosis, floribus albis. Si stipulae ita essent ut in R. multiflora, Thunbergius certo certius commemorasset, quia characterem efficiunt longe distinctissimum. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. urceolis subglobosis; caule procumbente, aculeato, foliolis integerrimis, lanceolatis, apice attenuatis, pedicellatis; floribus cymosis, exiguis, calycis laciniis subulatis, petalis obcordatis.

Rosa microcarpa (?) Bibl. Braam. Lindl. Ros. no. 75. t. 18.

In delectu iconum chinensium ex Bibliotheca Cattleyana (ab origine Braamiana; v. Rosa Braamiana!) communicatur icon Rosae, quae certo certius ad familiolam R. multiflorae, Thunbergii etc. pertinet, sed neque haec posterior, multo minus R. microcarpa dici potest, quod jam alia species a Thunbergio hoc nomine insignita fuit. Describam ad iconem utut imperfectam, et nulla commentatione concomitatam, ne tandem memoria hujus plantae evanescat.

Caulis fruticosus, procumbens, viridis, ramulis assurgentibus, apice floriferis; aculei mediocres, recurvi, fusci, sparsi; folia bijuga; stipulae lineari-lanceolatae; petioli inermes; foliola aequalia, notabiliter petiolata, lanceolata, apice attenuata, margine integerrima, subtus pallidiora, pollicem longa; cymae 7—8 florae, terminales; bracteae (videntur caducae) filiformes. Pedunculi, pedicellique inermes (glabri?) Flores parvi, magnitudine Potentillae albae; urceoli globosi, subturbinati, segmenta subulata, vix petalis breviora; petala patentia, obcordata, obtuse emarginata.

Hab. in imperio Chinensi. Si icon bona, species distinctissima foliolis integerrimis.

Nunc jam ad Lindleyi iconem et descriptionem addo atque emendo sequentia: Rami juniores subtomentosi. Foliola superiora ternata, simpliciter serrata, ovato-lanceolata, terminali maximo: stipulae parvae, setaceae, liberae; bracteae deciduae: styli exserti coaliti. Fructus coccinei, globosi, illis Crataegi oxyacanthae similes. Pedicelli glabri, et petioli inermes. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES IV.

SMITHIANA.

Semperflorentes; foliola acuminata, suprema ternata; fructus ovati, rubri, glabri.

Species: R. Sinica L. R. Chinensis Jacq. R. Indica L. R. reclinata. Thy. R. longifolia Willd. R. Noisettiana Thory. R. L'Héritieranea Thory. R. acuminata T. R. Laurentiae T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Sinica L.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, glabris, pedunculis aculeatis hispidis, caule petiolisque aculeatis, calycinis foliolis lanceolatis, subpetiolatis. Linn.

Rosa sinica Linn. Syst. veg. 394. Gmelin Syst. veg. I. 855.

Rosa bengalensis Pers. Synops. pl. II. 50.

Rosa semperflorens. Curt. bot. Mag. 284. Willd. Sp. pl. II. 1078. Ait. h. k. ed. 2. III. 266. Smith Exot. bot. II p. 63. t. 91. Miss. Lawr. Ros. t. 28. Jacq. hort. Schönbr. III. p. 17. t. 281. Lindl. Ros. no. 59.

Rosa diversifolia. Ventenat in Jard. de Cels. no. 35.

Differt a R. indica colore florum saturate purpureo, aculeis frequentioribus, minoribus, foliolis minoribus, grosse serratis, junioribus rubedine livida suffusis. Ceterum variat floribus plenis, et simplicibus, mediocribus et maximis, solitariis et aggregatis; petalis etiam albidis; et magnitudine totius plantae. Flores tamen in hac vix odorati. Haec maxime vulgaris in hortis sub nomine R. semperflorentis purpureae.

Fortasse mera varietas R. indicae, uti et a pluribus cum hac conjungitur. Interea, quia species admodum affines sunt, posset esse, ut anomaliae et hybriditates tantum censeri deberent innumerae istae intermediae formae, quae R. indicam cum R. sinica in unam speciem coadunare videntur? Cell. Thory in Red. Ros. II. p. 37. utrasque sub nomine R. indicae coalitas in suas varietates dispescit.

Hab in India orientali et in China. ♂. Noli confundere cum R. sinica hortulanorum, quae R. nivea Decand. est!

Inter ceteras varietates commemoranda illa est floribus simplicibus atropurpureis, quae apud Andrewsium fasc. 16 depicta est.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sinica inermis.*

Distinguitur caule inermi, pedunculis glabris, inermibus, foliolis cordato-lanceolatis, floribus solitariis, longe pedunculatis, simplicibus, calycis segmentis tenuissimis, corolla longioribus, petalis fusco-purpureis, urceolo oblongo. T.

Colitur in hortis parisiensibus, admodum h. t. rara.

Icon sub nomine R. indicae L. in Red. Ros. I. p. 49. c. ic. Analogia quaedam inter hanc et R. Andreusii!

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sinica cruenta.*

Distinguitur foliolis maximis, ramulis floriferis et pedunculis ipsis elongatis, deflexis et iterum adscendentibus, floribusque in hac specie maximis, plenis, semiexpansis, pulcherrime sanguineis. T.

Ab Anglo Evans primum ex imperio Chinensi Europam adlata, et usquedum sat rara, omnium suae speciei varietatum pulcherrima et distinctissima. Icon ap. Red. in Ros. T. I. ad p. 123. sub nomine R. indicae cruentae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sinica formosissima.*

Distinguitur caulibus, ramulisque sterilibus aculeatis, floriferis inermibus, pedunculis tenuissime hispidis, foliolis parvis ovato-lanceolatis, supra atrovirentibus, floribus longe pedunculatis, cernuis, maximis, plenissimis, subconvolutis, purpureis, odoratis. T.

In multis cum R. sinica cruenta convenit. Sed petala multo minora uti et foliola. Praeterea flores odorati, quod in hac specie unicam exceptionem constituit. Icon in Andr. Ros. fasc. 14.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sinica pannosa.*

Distinguitur ramulis elongatis debilibus, foliis superioribus ternatis, floribus subcorymbosis, bracteis flaccidis, segmentis calycis ante floris expansionem reflexis; floribus mediocribus, plenis, subconvolutis, petalis vario modo conformatis, vel laceris, saturate purpureis et variegatis. T.

Momento primae expansionis odor perfecte cinnamomeus exhalatur. In hortis sub nomine R. variegatae, et R. semperflorentis canellatae propagatur. Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 37. Cum hac proxime conveniunt R. indica stelligera, sertulata, et caryophyllea; v. Red. Ros. III. p. 41. 43. et 69. c. icc.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *sinica Ternotea.*

Distinguitur aculeis caulinis raris, subgeminatis, parvis, rectis, fortibus, ramulis elongatis debilibus, floribus cymosis, fere parvis, plenis, expansis, micropetalis, ab initio purpureis, tandem violaceis, pedunculis glanduloso-hispidis, urceolis obovatis glabris, segmentis triangulari-subulatis, vix ante floris expansionem reflexis, integerrimis. T.

Nata in Gallia in horto Dni. Ternaux, varietas memorabilis, propensionem generis affirmans, in caeruleum degenerandi, quemadmodum hoc in R. Gallica, turbinata, centifolia aliisque observamus. Icon apud Redout. in Ros. T. II. ad pag. 119. sub nomine R. indicae subviolaceae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *chinensis Jacq.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, petiolis cauleque aculeatis, foliolis ovato-lanceolatis, subternatis, serrulatis, glabris. Willd.

Rosa chinensis Willd. Sp. pl. II. 1078. Jacq. Observ. bot. III. p. 7. t. 55.

Rosa bengalensis β chinensis Pers. Syn. pl. II. 50.

A Rosa indica ex Linnaei descriptione praecipue discriminatur foliolorum omnimoda nitidaque glabritie, et laciniarum calycis ciliata villositate. Plures rami in specimine Gronoviano eidem chartae adglutinatae sunt. In omnibus folium vere pinnatum desideratur: at habentur folia superiora ternata simpliciter; inferiora aucta hinc foliolo atque adeo pinnata, illinc eodem destituta. Corollae color videtur fuisse ruber. Jacq. l. c.

Sine dubio est planta spontanea, seu mater R. nostrae sinicae, seu semperflorentis, in hortis vulgatissimae, et maxime anomalae. ♂. Noli confundere cum R. sinica L. sed minus cum R. chinensi Du Pont, quae est R. inermis (v. hanc speciem!) et forte mera R. turbinatae varietas.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *indica L.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, caule subinermi, petiolis aculeatis. Linn.

Rosa indica. L. Sp. pl. 705. Willd. Sp. pl. II. 1079. Pers. Syn. II. 50. Dietrich. Lexic. d. Gärtn. u. Bot. VIII. 235. Ait. h. k. ed. 2. III. 266. Miss. Lawr. Ros. t. 26. Andr. Ros. fasc. 36. et semiplena fasc. 4. Red. Ros. I. p. 51. c. ic. Lindl. Ros. no. 58.

Rami inermes, rarius armati, uno alterove aculeo tenuissimo versus folia vel in petiolis. Folia pinnata: foliolis quinis, subtus tomentosis, supra glabris, serratis: extimo duplo majore. Pedunculi longi, nudi, simplices. Calyx incisus, laevis. Fructus magnitudine Sorbi aucupariae. Willd. l. c.

Haec tamen omnia aberrare solent. Optime R. indica a R. sinica distinguitur floribus pallide roseis, minus expansis et foliolis majoribus. Varietates in hortis cultas, alias R. Indicae, alias R. Sinensi majori jure tribui debere vix dubitandum est. Et hoc quidem praecipuum illud est, quod me permovit, ut pro distinctis speciebus susciperem. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *indica turbinata.*

Distinguitur aculeis caulinis sparsis, non maximis, sed fortissimis, rectis, uncinatisque, foliolis magnis, ovatis, acuminatis, undulatis, nitidis, rigidis, urceolo crasso, turbinato, segmentis calycinis ante gemmae expansionem refractis, floribus plenissimis, mediocriter convolutis, roseis, petalis extremis profunde purpureis, hinc gemmis discoloribus. T.

Ad ritum Rosarum turbinatarum non omnes aperit gemmas, et quodammodo etiam habitum illarum imitat. Urceolus perfecte ut in R. turbinata, rapa, et similibus. An mera varietas? Icon apud Redout. in Ros. T. II. ad pag. 35. sub nomine R. indicae multipetalae. Hujus subvarietas est R. indica dichotoma, quam v. in Red. Ros. T. III. p. 63. c. ic. alia in Andr. Ros. fasc. 39. sub noe. R. indicae incurvae, scilicet petalis in modum Anemones incurvis, s. concavis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *indica fragrans.*

Distinguitur caule humili vix sesquipedali, aculeis fortissimis sat magnis atropurpureis, subrecurvis, foliolis magnis, ovato-lanceolatis; floribus subumbellatis, maximis, plenis, convolutis, albo-incarnatis, fragrantissimis, nutantibus, petalis subdiaphanis. T.

Colitur passim sub dio, adhuc rarior, saepe sub nomine R. Theae.

Icon optima in Red. Ros. I. p. 61. c. ic. et apud Andrewsium in Ros. fasc. 23. sub nomine: R. Indicae odoratae. Clariss. Waitz in litt. hanc ut speciem sub nomine R. odoratissimae distinguit „tubo calycis (urceolo) globoso pedunculoque hispidiusculo, segmentis subsimplicibus; foliolis ovato-acuminatis, simpliciter argute serratis, odoratis, stipulis dentatis; fructu ovato nudo." In hortis vulgo R. Thea vocatur. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *indica subalba.*

Distinguitur aculeis raris, parvis, basi dilatatis, foliolis magnis lanceolatis, utrinque glabris, stipulis acuminatissimis, tenuissime serrulatis; floribus solitariis vel subumbellatis, majusculis, semiplenis, subconvolutis, fere albis, vix roseis; segmentis calycinis inaequalibus, aliquibus corolla longioribus, subappendiculatis, subspathulatis, glabris. T.

Reposcit frigidarium et culturam ollarem in Europa media. Icon apud Redouteum in Ros. T. II. ad pag. 79.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *reclinàta. Thy.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis pedunculisque glabris; alabastris (gemmis florum) ante anthesin reclinatis; laciniis calycinis subintegris; caule subinermi. Thory.

Rosa reclinata Red. Ros. III. p. 79. c. icc.

Caulis scandens praealtus. Ramuli extimi plerumque subinermes, inferiores armati. Foliola 3, 5, 7, utrinque glabra, subtus parumper pallidiora, simpliciter dentata; petioli glabri, sparse aculeati; stipulae decurrentes, apice divergentes, denticulatae. Flores terminales corymbosi, longe pedunculati, ante anthesin notabiliter cernui, anthesi perfecta tandem erecti. Pedunculi, urceoli subglobosi, et sepalae subintegerrimae, glabrae. Petala obcordata, saturate rosea. Fructus subglobosus, maturitate ruber.

Cell. Thory l. c. putat, hanc speciem esse hybridam de R. indica et R. alpina. Varietas plena R. indicae simillima est; sed differt a planta normali sepalis brevioribus, foliolisque multo minoribus, ovatis. Interea ad testimonium cell. Thoryi provenit ex seminibus de planta normali. Varietas plena in hortis nota est sub nomine Rosier Boursault. Ambo florent uberrime a primo vere usque in serum autumnum, nec singularem culturam reposcunt. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *longifòlia Willd.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, glabris, pedunculis glanduloso-subaculeatis, caule subinermi, petiolis aculeatis, foliolis glabris, ovatis, aculeatis. Willd.

Rosa longifolia Willd. Sp. pl. II. 1079. Poiret Encycl. VI. 296. Nouv. Duham. VII. p. 28. no. 22. Red. Ros. II. p. 27. c. ic.

Rosa semperflorens, var. 7. Nouv. Duham. l. c. p. 25.

Frutex debilis et modice altus in hortis europaeis (Willdenowius conjecturando illum in India orientali habitantem, praealtum, undique inermem existimat); Rami glabri, aculeis raris, parvis, recurvis, rubentibus, quandoque gemellis muniti. Folia uni, bi, et semibijuga, foliolis acuminatis, longissimis, utrinque glabris, margine simpliciter et remote denticulatis; petioli glanduloso-hispidi, et aculeolis uncinatis sparsis armati; stipulae angustae, parvae, subglandulosae. Flores raro solitarii, saepius ad 3 — 4 aggregati, umbellati, terminales. Pedunculi longi, apice glandulis pedicellatis muniti, basi bracteati, bracteis parvis, lanceolatis, rectis, margine glandulosis. Urceolus glaberrimus, ovalis, oblongus; laciniae calycis simplices, aristatae, longitudine inaequales. Flores subsimplices, rosei. Fructus elliptici, rubri.

Thory apud Redoutée l. c. demonstrat, hanc Rosam esse meram R. indicae varietatem. Cum tamen ab hac non modo insigni foliolorum abnormitate, sed et bracteis, armis et fructu recedat, necessarium putavi, illius distinctionem conservare; nam sunt plures aliae ad Rosas alpinam, caninam, rubiginosam et pimpinellifoliam tendentes species, quae pariter deleri deberent, si R. longifoliam exstirpare vellemus. Willdenowius specimen ex India delatum descripsisse videtur. Ergo jam sponte haec species efformari incepit. In hortis adhuc rarissima est, et R. persicifolia ab hortulanis nominatur. Oportet eam a R. alba cymbaefolia caute discernere.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Noisettiàna Thory.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque villosulis; foliolis glabris, simpliciter argute crenatis; petiolis glanduloso-subtomentosis, aculeatis; caule aculeis validis, subrectis; floribus paniculatis. Thory.

Rosa Noisettiana Red. Ros. II. p. 77. c. ic.

Frutex 8—10 pedalis. Caules robusti aculeis sparsis armati. Aculei validi, inaequales, subrecti. Foliola, plerumque septena, orbiculato-ovata, basi rotundata, apice partim acuta, partim obtusa, utrinque glabra. Petioli subpubescentes, aculeati. Stipulae parvae, margine glandulosae. Flores terminales, dense corymbosi. Bracteae angustae, serratae, mucronatae. Urceolus pyriformis, pedunculi et pedicelli pubescentes. Laciniae calycis mucrone lineari terminatae, subappendiculatae, intus albo-tomentosae, margine subglandulosae. Corolla semiplena albo-rosea, speciosa, suavissime olens. Nomen in memoriam cell. hortulani Phil. Noisette.

Haec species est artificiose hybrida ex cultura Philippi Noisette, hortulani et pomologi Americani celeberrimi. Parentes fuerunt R. indica, et R. moschata (non R. muscosa, uti Steudel erronee allegavit!) et est semperflorens, et per hiemem facili tegumento in libero aëre conservanda.

Cum planta hybrida nullae speciei aliae ut varietas possit subjungi, et cum tot species naturales simili negotio exortae habeantur, etiam huic omnium forte Rosarum pulcherrimae locum praesentem concedere non dubitavi. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *L'Heritieranèa Thory.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, glabris; pedunculis hispidis; foliolis ovalibus, subrigidis, utrinque glaberrimis, supra nitidis, simpliciter serratis; petiolis glabris; caule infra aculeato. Thory.

Rosa l'Heritieranea Thory in Red. Ros. III. p. 21. c. ic.

Frutex maxime floridus, debilis, ad summam altitudinem scandens. Aculei perpauci, in ramis adultis, sed validi recurvi. Folia 2 — 3 juga, foliolis omnium fere maximis, obovatis, basi rotundatis, apice acuminatis, superne lucidis, utrinque glaberrimis, simpliciter et grosse serratis. Stipulae decurrentes, denticulato-glandulosae; petioli glabri. Flores plurimi, corymbosi, pleni, illis R. centifoliae anemoniflorae subsimiles, pedunculis elongatis, saepe bracteatis, glanduloso-hispidis. Laciniae calycis inaequales, quaedam longissimae, subpinnatifidae, intus tomentosae, extus glandulosae. Styli liberi, breves. Fructus ovatus, ruber.

Est species ex facto hybrida, nata ante 13 annos in horto Dni. Villemorin ex R. alpina et indica, per plurimos hortos jam divulgata, et a Redouteo ex grata mente memoriae patroni et promotoris sui dicata, Caroli Ludovici l'Héritier (nati 1746 et in turbis infelicibus die 16to Aprilis 1800 trucidati), botanici celeberrimi, et de re herbaria optime meriti parisiensis. Folia fere ut in Fraxino majori, et tota planta distinctissima. Cum species tot hybridas naturales suscepimus, cognoscere, et promulgare oportet etiam artificiales, quae ulterius perdurant et propagantur, neque ut varietates ad ullam aliam possunt reduci.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *acuminàta T.*

R. urceolis subglobosis pedunculisque glabris, aculeis caulinis recurvis, sparsis, petiolis subaculeatis; foliolis ovato-lanceolatis, duplicato-serratis, petalis obovatis acuminatis; floribus solitariis ebracteatis. T.

Rosa indica acuminata. Thy. in Red. Ros. I. p. 53. c. ic.

Frutex bipedalis. Rami diffusi, aculeis parvis, basi valde dilatatis plerisque recurvis muniti, ceterum glabri, nudi. Folia pleraque bijuga, nonnulla apice livida, praesertim pagina inferiore. Flores terminales, parum odorati. Segmenta calycis non reflexa, quandoque integerrima, nonnunquam tamen etiam tenuiter pinnatifida. Corolla alba, magna, roseo- apiculata.

Satis differt a R. Laurentiae, cui tamen proxime affinis, urceolo subgloboso, pedunculis glabris, statura majori etc. Eo certius puto, illam in catastrum specierum referri debere. T.

In Andr. Ros. fasc. 14. depicta habetur varietas, pedunculis obiter hispidulis, floribusque plenis, roseis, expansis, parvis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Laurentiae T.*

R. urceolis oblongis ovatisve glabris, pedunculis, calycisque segmentis glanduloso-hispidis, caule aculeato, aculeis rectis, petalis ovatis, acuminatis. T.

Rosa Laurentiae Hortulanorum, et Andr. Ros. fasc. 38. fig. 1.

Rosa semperflorens γ. minima. Sims in Bot. Mag. no. 1762.

Rosa indica pumila Red. Ros. II. p. 25. c. ic.

Rosa Lawranceana. Lindl. Ros. no. 60.

Frutex digitalis, vel semipedalis, raro altior, ramis patentibus, aculeatis, superne hispido-glandulosis, aculeis purpurascentibus rectis, raro subincurvis, basi dilatatis. Folia ternata, bijuga et semibijuga, foliolis ovato-lanceolatis, tenuissime et maxime inaequaliter serratis, subtus glaucescentibus, utrinque glabris. Stipulae parvae, plerumque purpurascentes, lineares, serrato-glandulosae. Petioli aculeati et setis glanduliferis muniti. Flores terminales, solitarii, pedunculo plerumque sat longo hispido-glanduloso suffulti, cui modo foliola simplicia, modo 1, 2, 3 bracteae lineares inhaerent. Calycis urceolus plerumque oblongus, sed et ovatus imo obovatus, glaber, gracilis; segmenta triangulari-oblonga, corollae aequalia, integra, vel appendiculata, extus glanduloso-hispida. Petala rosea, vel alba et roseo picta, obovata acuminata.

Nata dicitur e seminibus de R. indica. Sed tantum differt, quantum ulla species, praecipue petalis integris acuminatis, hispiditate et foliolorum serratura. Andreusii R. indicam minorem non audeo Synonimiae subjungere. Haec enim flores majores et petala emarginata habet, et ad R. indicam referenda videtur. R. Laurentiae, species omnium minutissima, dicata nomini Miss Lawrance, quae plures Monographias nitidissimas, et quidem celeberrimam de Rosis edidit. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Laurentiae subinermis.*

Distinguitur caule altiori 6—9 pollicari, vel penitus inermi vel aculeolis rarissimis munito, glabro, nec hispido-glanduloso, pedunculis, calycibusque glabris, serraturis foliolorum regularibus, floribus polypetalis, expansis. T.

Semper floret ut R. indica; sed petala integerrima, obovata. Flores diametro pollicem excedunt. Hortulanis quibusdam Bengale pompon, h. e. R. indica pomponia vocatur.

Icon apud Redout. Ros. T. I. ad pag. 115 et Andr. Ros. fasc. 38. fig. 2. Hanc clariss. Waitz in litt. ut speciem propriam, sequente phrasi distinguit: „R. tubo calycis (urceolo) ovato pedunculoque glabriusculo; segmentis appendiculatis patentibus; foliolis ovatis, argute serratis; stipulis dentatis; petalis oblongis, acutis, calyce brevioribus; stylis 15—20 hirsutis."

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES V.

BIEBERSTEINIANA.

Foliola villosa vel tomentosa, et simul glandulosa; fructus magni, saepe hispidi; aculei rariores, saepe stipulares, vel internodiales.

Species: R. villosa L. R. terebinthina T. R. mollissima Willd. R. farinosa Bechst. R. Borkhausenii T. R. caucasica. Pall. R. tomentosa Smith. R. agrestis. Gmel. R. clusiana Waitz. R. Anderzejowscii Steven. R. cuspidata Bieberst. R. dimorpha Bess. R. mollis Ledeb. R. scabriuscula Smith. R. pulchella Woods. R. bractescens Woods. R. hibernica Smith. R. heterophylla Woods. R. Sabini Woods. R. gracilis Woods. R. involuta Smith. R. Doniana Woods. R. obtusifolia Desv. R. incana Kit. R. mixta. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

OSA *villòsa* L.

R. calycis tubo (urceolo) globoso, glabro, hispidove, pedunculis glanduloso-hispidis; foliolis ellipticis, duplicato-glanduloso-serratis, subtus glandulosis, petiolisque aculeolatis, undique tomentosis, aculeis caulinis rectiusculis. Rau.

Rosa villosa Lin. Sp. pl. 704. Willd. Sp. pl. II. 1069. Ait. h. k. ed. 2. III. 260. Nouv. Duham. VII. p. 44. Red. Ros. I. p. 67. c. ic. Guimpel deutsch. Holzart. I. p. 116. t. 88. Schultes Oesterr. Fl. ed. 2. II. 69. Smith fl. brit. II. 538. Lindl. Ros. no. 44. Rau Enum. p. 150. Wallr. ann. bot. p. 61. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 395. et III. 338. Wahlenb. Fl. Upsal. p. 171. Wulfen in Röm. Arch. III. f. 3. p. 377.

Rosa pomifera. Gmel. fl. Bad. II. 410. Röhling Deutschl. Fl. II. p. 293. Borkh. Forstb. II. p. 1315.

Frutex 5—14 pedalis et ultra. Aculei caulini sparsi, rariores, mediocriter validi, fere recti, nonnunquam substipulares, gemini. Petioli tomentosi, aculeati, glandulosi. Stipulae lanceolatae, utrinque tomentosae, glanduloso-ciliatae. Folia 2—3 juga, foliolis majoribus, ellipticis, acutis obtusisve utrinque villosis, subtus glandulosis, duplicato-serratis, serraturis secundariis subglandulosis. Pedunculi terminales 1—6, glanduloso-hispidi; bracteae ovato-lanceolatae. Calycis laciniae integrae, vel appendiculatae, lineari-lanceolatae, glanduloso-hispidae. Flores parvi; petala pallide rosea, obcordata, saepius margine crenulata. Fructus obovatus vel subglobosus, maximus, nonnunquam Juglandis magnitudine, muricato-glandulosus, sanguineus.

Hab. in Europa media et septentrionali. A R. tomentosa et mollissima bene distinguenda a) magnitudine, b) foliolis magnis, villosis, c) laciniis calycis linearibus, d) floribus minoribus, e) fructibus subglobosis, maximis, setis rigidis, apice saepe glanduliferis, maturitate increscentibus, munitis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *villosa semiplena.*

Distinguitur caule altissimo, arboreo, aculeis raris, sparsis, rectis, petiolis tomentosis, aculeatis, foliolis magnis, rigidis utrinque villosis, ellipticis, duplicato-serratis, stipulisque glanduloso-ciliatis, pedunculis, urceolis globosis, segmentisque subpinnatifidis hispido-glandulosis; floribus paniculatis, magnis, semiplenis, apertis, roseis. T.

Icon in Andr. Ros. fasc. 31. ubi in eadem tabula etiam simplex sed floribus consuetudine majoribus depicta videri potest.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *villosa suberecta Woods.*

Distinguitur fructu globoso, petiolisque (?) aculeato-hispidis; floribus saturate purpureis; ramis erectis, strictis; foliis 3—4 jugis, foliolis concavis; caule, petiolis, stipulis, aculeis junioribus et costis primariis atrosanguineis.

Woods putat, hanc fortasse pro specie fore sufficienter distinctam. Unica vice tantum illam observavit in ripa calcareo-petrosa prope Ingleton in Yorkshire.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *terebinthina T.*

R. germinibus (urceolis) globosis pedunculisque hispidis; foliolis (resinam terebinthinam redolentibus) glaucis, glutinosis, utrinque villosis, duplicato-serratis, serraturis ciliatis; caule aculeis subrectis. Thory.

Rosa villosa terebinthina. Red. Ros. II. p. 71. c. ic.

Frutex 4—5 pedalis. Rami glabri, aculeis pallidis, fere rectis, sat fortibus, raris, sparsis, in ramis floriferis saepe geminis substipularibus. Foliola maxima, subovalia, subtus glauca, utrinque villoso-glanduloso-viscosa, digitis contrita vehementer terebinthinam spirantia. Petioli tomentosi, aculeolis raris, uncinatis, pallidis muniti. Stipulae decurrentes, latiusculae, serrulatae, glanduloso-tomentosae. Flores laterales terminalesque, magnitudine mediocri, fere inodori, solitarii, vel ad 3—4 cymosi. Pedunculi breves, hispidi setis rigidis glanduliferis, quilibet instructus bracteis ovato-lanceolatis. Urceolus pyriformis, subglobosus, pariter hispidus. Laciniae calycis elongatae sunt vel simplices, vel appendiculatae. Petala rosea, basi albida, antice irregulariter crenulata, nonnunquam apiculo terminata. Styli vix prominuli, et stigmata coadunata in capitulum. Fructus nondum observatus.

Patria incerta, dicitur America septentrionalis. In hortis adhuc admodum rara et sub falso nomine R. evratinae habetur. A R. villosa statura minore, foliolis, floribusque majoribus, et petalis apiculatis, nec obcordatis, sufficienter differre videtur. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *mollissima Willd.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, glabris; pedunculis hispidis; caule petiolisque aculeatis, foliis tomentosis. Willd.

Rosa mollissima Willd. Prodr. Fl. Ber. no. 1237. Gmel. Fl. Bad. als. II. 409. Borkhaus. Forstbot. II. 1314. Willd. Enum. Suppl. p. 38. Red. Ros. II. p. 89.

Rosa villosa Dec. fl. Fr. IV. 440.

Rosa villosa mollissima. Willd. Sp. pl. II. 1070. Pers. Syn. II. 48. Rau Enum. p. 154.

Rosa dubia. Wibel fl. Werthem. p. 265 et 350.

Frutex 4 pedalis; aculei sparsi, fere recti, illis R. villosae subsimiles. Folia 3juga, foliolis ovato-rotundatis, tomentosis, mollissimis; petioli pariter tomentosi, armati aculeis minutis, recurvatis. Flores laterales, terminalesque ad 2 — 3ve in extremitatibus ramulorum. Urceolus fere globosus, plerumque glaber, nonnunquam tamen, more pedunculorum, undique hispidus. Laciniae calycis pinnatifidae, spathulatae vel appendiculatae, mollissimae. Flores nonnunquam pleni, rosei. Fructus oblongi, plerumque glabri, sed in eodem individuo hispidi, edules.

Varietas multipetala a Redouteo l. c. depicta perelegans, floribus concavis, pedunculis umbellatis, divaricatis.

Hab. in sylvis Germaniae, Galliae et Italiae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *farinòsa. Bechst.*

R. Calycis tubo (urceolo) oviformi, pedunculisque superne glabris; foliolis ovalibus, utrinque villosis mollissimis, duplicato-serratis; petiolis tomentosis cauleque aculeatis: aculeis rectiusculis. Rau.

Rosa farinosa Bechstein Forstb. p. 243 et 1046. Rau Enum. Ros. p. 147. Red. Ros. III. p. 65. c. ic. Lindl. Ros. no. 97.

Praeter fructum vix a R. villosa differt. Secundum Rau est frutex 3—5 pedalis, ramosissimus; aculei validi, recti, superiores decrescentes, subuncinati, tandem nulli. Petioli albo-tomentosi, glandulosi; stipulae subtus dense villosae; foliola 3—7na, ovalia, nonnulla oblonga, alia acutiuscula, alia obtusa. Corymbus folio ternato et bractea suffultus, pedunculi laterales bibracteati; laciniae cal. ovatae, attenuatae, intus et limbo tomentosae, appendiculatae. Flores pallide rosei, vix calyces superantes. Fructus magnus, globoso-oviformis, turgidus, nitidus obscure ruber, sub finem nigrescens. Proxima dicitur R. hispidae Borkhausenii, (R. Borkhausenii T.) quae ab aliis pro R. villosae varietate habetur.

Hab. in nova Bavaria prope Mainbernheim. Dicitur farinosa, quia tomentum foliolorum albidum est et in certa distantia conspecta farina esse videtur. Lindleyus l. c. interrogat: An haec vera species? an non potius male generata R. tomentosa? aut forte nostra R. Sabini var. β.? — Sed a R. Sabini quam maxime distat. Icon Redouteana quemlibet de hac differentia convincere debet. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Borkhausènii. T.*

R. urceolis ovatis, fructibus pedunculisque hispidis, stylis brevibus, petiolis lanuginosis, aculeatis; foliolis ovatis, attenuatis, duplicato-serratis, utrinque velutinis, caule aculeato.

Rosa hispida Borkh. Forstbot. II. 1332. Nr. 486. Bechstein Forstbot. p. 243 et 1045. Poiret Encycl. VI. 286. Lindl. Ros. no. 84.

Frutex 3—4 pedalis, ramis sparsis distinctus. Aculei ut in R. farinosa, sed subuncinati. Stipulae oblongae, attenuatae, supra molliter tomentosae, subtus tenuissime glandulosae et glanduloso-ciliatae. Foliola majuscula apice attenuata, basi rotundata, argute biserrata, utrinque, sed praesertim subtus mollissime velutina. Flores subsolitarii, vel gemini, rarius umbellati, involucro ex totidem bracteis, quot pedunculis, composito. Sed et praeterea quilibet pedunculus binis bracteis munitus. Omnes uti etiam urceoli, setis et glandulis pedicellatis scabri atque viscosi. Petala pallidissime rosea unguibus albis, vel penitus alba, parum emarginata. Fructus pededentim hispiditatem exuunt, colore xerampelino et tandem, maturitate perfecta, nigro distinguuntur.

Hab. passim in Germania. Fl. Junio, et Julio. Cell. Rau (in Enum. Ros. p. 149.) dicit: „R. farinosa proxima R. hispidae Borkh. tamen diversa calycis tubo glabro, et pedunculis inferne pubescentibus, superne glabris. R. hispida Borkh. eadem est cum R. villosa Pollich fl. Pal., et R. villosa Leers fl. Herborn. uti ex descriptionibus horum auctorum abunde patet. — — — Persuadere mihi non possum, R. hispidam esse meram R. villosae varietatem, ut aliqui botanici credunt, cum non solum calycis tubo (urceolo) oviformi, sed etiam alio habitu alioque crescendi modo distinguatur.“ v. etiam Diar. botan. Flora dictum d. a. 1822. T. I. no. 12. p. 183.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA ***Borkhausenii argentea T.***

Distinguitur ramulis, pedunculis calycibusque atropurpureis centematosis, urceolis subturbinatis incrassatis, foliolis minoribus supra glabris; floribusque plenis globosis, niveis, magnitudine mediocribus. T.

Icon in Red. Ros. III. ad pag. 81. sub nomine R. hispidae var. argenteae. Planta pulcherrima.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *caucàsica Pall.*

R. fructibus (adeoque et urceolis) ovatis pedunculisque glabris, petiolis aculeatis, caule glabro: aculeis recurvis, foliolis duplicato-serratis, pubescentibus, floribus umbellatis. Bieberst.

Rosa caucasica. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 400. Id. l. c. III. 351. Ait. h. k. ed. 2. III. 266. Pall. Fl. Ross. II. p. 62. Lindl. Ros. no. 54. c. ic. tab. 11.

Ex fructibus Rosae, a me per Caucasi montosa iter faciendo, ante tredecim annos lectis, in horto academico Charkoviensi enatus et passim per alios hortos botanicos divulgatus est frutex spectabilis, quem modo pro R. caucasica agnosco, cultura tamen mutata. Villositatem enim pene exuit, magisque evasit glaucescens, foliola minus evidenter sunt biserrata, petioli insignius aculeati: aculeolis vulgo et in supremi folioli costam adscendentibus. Calycis segmenta magna, valde appendiculata, ut in R. uncinella. Fructus magni, globoso-ovati, coccinei. Bieberst. l. c. III. 351. Flores umbellati, pallide rosei; laciniae cal. pinnatifidae, longe appendiculatae; styli breves hirsuti. Simillima R. caninae. ♂. Huc, secundum Dietrichium, forsitan referri debebit R. mollis Ledebour. v. Dietr. Lexic. d. G. u. B. Nachtr. VII. p. 250? — Serraturae duplicatae, foliola molliter pubescentia, pedunculi breves, aculei substipulares, et fructus magni, subhispidi aperte demonstrant affinitatem cum R. villosa, Borkhausenii et sim. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *tomentòsa. Smith.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis subaduncis, petiolis villosis aculeatis, foliolis (mediocribus) ovatis, acutiusculis, glanduloso-biserratis, utrinque villoso-tomentosis, floribus solitariis geminisve. M. Bieberst.

Rosa tomentosa. Smith Fl. Britt. II. 539. Id. in Engl. Bot. 990. Ait. h. k. ed. 2. III. 266. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 341. Red. Ros. II. p. 39. c. ic. Schult. Oest. Fl. ed. 2. II. 71. Lindl. Ros. no. 45. Hoocker Fl. Lond. n. s. II. fasc. 21.

Frutex 4 — 5 pedalis R. villosa omnibus partibus minor, et habitu R. caninae similis. Rami erecto-patentes, subflexuosi. Aculei atropurpurei, sparsi, sat validi, subadunci, basi dilatati. Folia 2 — 3 juga, foliolis elliptico-ovatis, utrinque mollissime tomentosis, subcinerascentibus, serraturis glanduloso-ciliatis. Petioli tomentosi, muricati. Pedunculi terminales, subsolitarii, glanduloso-hispidi. Urceolus, et calycis laciniae subappendiculatae et pinnatifidae, glanduloso-hispidae. Bracteae lanceolatae, binae, oppositae ad basin pedunculorum. Petala obcordata (ceterum integerrima, nec crenulata ut saepius in R. villosa!) vel penitus alba vel antrorsum rosea. Fructus ovatus, coccineus, muricatus, magnitudine et forma R. caninae.

Hab. in Anglia, Gallia, Helvetia, Austria, nec non in Caucaso. Affinis R. molli, villosae, mollissimae, farinosae et caucasicae. Optime foliolis utrinque tomentosis (nec villosis!) et fructibus apice constrictis, urceolatis, discernitur. Cell. Dr. Friedr. Nees ab Esenbeck in Diar. Bot. 1822. I. no. 12. defendit, nostram R. tomentosam esse merum R. Borkhausenii Synonimon. (?) Non immerito cell. Rau observat, familiam R. villosae illae R. rubiginosae esse affinem. Lindleyus R. mollissimam, mollem, heterophyllam, pulchellam etc. ut Synonima R. tomentosae allegat.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *agrèstis Gmel.*

R. calycis tubo (urceolo) subgloboso, pedunculisque hispidulis, foliolis rotundis, obtusis, aequaliter dentatis, subtus venosis, albide tomentosis, caule aculeolis raris rectis, floribus solitariis. Gmelin.

Rosa agrestis. Gmel. fl. Bad. Als. II. p. 416. Rau Enum. p. 161. Lindl. Ros. no. 79.

Frutex pedalis, sesquipedalis, vix altior, erectus. Rami pauci, teretes, glabri, virides, inferne inermes, superne aculeolis raris, paucis, inaequalibus, rectis praediti. Folia alterna, bijuga, foliolis rotundis, obtusis, aequaliter dentatis, supra glabris, saturate viridibus, subtus dense albido-tomentosis, semiuncialibus. Petioli glabriusculi. Stipulae lineari-lanceolatae, glabrae, integrae. Flores caulem ramosque terminantes, majusculi, solitarii, pedunculati. Pedunculi erecti, superne incrassati, hispiduli. Urceolus subglobosus, hispidulus. Calycina segmenta 3 ovali-caudata, integra, 2 pinnatifida, longiora, hispidula, margine albide villosa, corolla breviora. Petala obcordata, uncialia, speciosa, nivea, ungue lutescentia. Styli numerosi, pilosuli. Fructus subglobosi, glabriusculi, rubri, demum fusci.

Hab. in apricis, inter segetes in M. D. Badensi et in Bavaria. Affinis R. tomentosae. Species admodum distincta. Diversa a R. agresti Savii, quam nondum nosco. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Clusiàna. Waitz.*

R. urceolis subglobosis glabris, segmentis appendiculatis, pedunculisque hispidis, petiolis villosis, glandulosis, subaculeatis, foliolis odoratis, ovato-lanceolatis, simpliciter serratis, subtus pubescentibus, stipulis integerrimis; caule ramisque inermibus, fructu globoso. Waitz.

Rosa Clusiana Waitz in litt.

Rosa sine spinis. Clus. hist. I. p. 115. no. 1. c. ic.

Rosa sine spinis flore majore. C. Bauh. Pin. 482. n. XIV. Ray. Hist. p. 1470. no. 8.

Rosa sine spinis multiplex. Parkins.

Rosa acanthos flore pleno coloris rubelli. Jo. Bauh. Hist. II. p. 35.

Jam ab anno 1576. in hortis Germanicis prostat, sed a Botanicis usquedum neglecta; ad mentem cell. Waitz. R. gallicae affinis, nobis vero potius ad seriem Biebersteinianam spectare et R. agresti Gmel. proxima esse videtur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Anderzejòwscii Steven.*

R. calycis tubo (urceolo) globoso, pedunculisque setoso-aculeatis, laciniis glanduloso-muricatis, in fructu erectis; foliolis ellipticis subrotundis, ovatisve, subglanduloso-biserratis, utrinque villosis, parvulis, petiolis cauleque aculeatis: aculeis rectis, confertis, basi compressis, fructibus coccineis. Besser.

Rosa Andrzejowscii. Besser in litt. et Catal. hort. Cremen. a. 1811. suppl. 3. p. 19. Cat a. 1816. p. 117. Marsch. Bieberst. Fl. taur. cauc. III. 339. sub R. villosa.

Differt (scil. a R. villosa!) praecipue aculeis caulinis pluribus, principalibus compressis, magis dilatatis, basi longe-elliptica; foliolis minoribus, corollis pallidioribus. Bieberst. l. c.

Hab. in Galicia. ♂.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *cuspidàta Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculis calycibusque hispidis, aculeis caulinis validis recurvis, petiolis glanduloso-villosis, aculeatis, foliis (foliolis) majusculis, ovato-lanceolatis, acutis, argute glanduloso-biserratis, utrinque villosis, subtus glanduloso-scabris; floribus corymbosis. Bieberst.

Rosa cuspidata Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 396 et III. 339. Lindl. Ros. no. 51.

Frutex 2—3 pedalis. Aculei caulini validi, basi valde dilatati, recurvi, albidi, sparsi, ad basin petiolorum magis conferti et crassi. Stipulae acutae, extus undique glanduloso-villosae. Petioli aculeati et villis glandulosis hispidi. Folia 2—3juga, foliolis ovato-lanceolatis, argute duplicato-serratis, utraque pagina plus minus villosis, detritis aetate pilis, subtus glanduloso-scabris. Corymbi compositi, flores 5—10, albi, magnitudine R. caninae. Pedunculi, et toti calyces admodum setis glanduliferis, sed admodum brevibus muniti. Segmenta calycina cuspide lineari-lanceolato, serrato, ipsis longiore, basi saepius appendiculata. Fructus maturus magnus, ovatus, atro-sanguineus, hispidulus.

Hab. in aggeribus inter vineas circa oppidum Kisljar in Tauria. Fl. Junio. Admodum affinis R. tomentosae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *dimòrpha Besser.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque hispidis, aculeis caulinis subdeflexis, petiolis villosis, aculeatis, foliolis (majusculis) ovato-lanceolatis, acutiusculis, biserratis, utrinque villosis, floribus subcorymbosis. Bieberst.

Rosa dimorpha. Besser Catal. hort. Cremen. a. 1811. suppl. 3. p. 19. Cat. a. 1816. p. 117. M. B. Fl. taur. cauc. III. 340.

Media quasi inter R. cuspidatam et tomentosam. A priore differt defectu glandularum in pagina inferiore foliolorum minus acuminatorum, haud ita argute serratorum, et aculeis caulinis minus crassis atque aduncis; a posteriore vero villositate in foliis minus densa, foliolis in universum majoribus et floribus longius pedunculatis, corymbosis. Variat setis pedunculorum atque germinum rarioribus, confertioribus et hispiditate laciniarum calycis mox insigni, mox vix ulla. Foliolorum marginem eglandulosum praedicat cl. Besser l. c. ego tamen serraturas passim glandula terminatas video in specimine sicco ab auctore accepto. Bieberst. l. c. Flos non magnus pallidissime carneus, odore specifico balsameo. Fructus magnus, globosus, coccineus. Besser l. c.

Hab. ad latera montium per Caucasum passim. Affinis R. tomentosae, cuspidatae, terebinthinae et. sim.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *dimorpha semiplena.*

Distinguitur caule 4—5pedali, valde aculeato, aculeis summe inaequalibus, ad stipulas persaepe duplicibus, maximis, uncinatis; stipulis saepe a foliolis infimis non separatis, margine serrulatis, foliolis maximis, lato-ellipticis, subacutis, duplicato-serratis, utrinque villosis; cyma terminali multiflora, floribus semiplenis, patentissimis, roseis, pedunculis, calycibusque glanduloso-hispidis, segmentis appendiculatis, vix spathulatis, fructibus subglobosis, magnis, rubris, demum omni hispiditate privatis. T.

Cell. Thory in Red. Ros. T. II. p. 87. c. ic. hanc considerat ut varietatem R. tomentosae. Sed adspectus R. tomentosae in ipso Redoutei opere quemlibet docebit, talem metamorphosim minime verosimilem esse. Ast considerando R. dimorpham Besseri, statim in oculos incidit affinitas; et non difficulter nobis persuademus, semina, quae hanc varietatem dederunt, non ex Gallia sed ex Galizia adlata, et tum temporis has species (scilicet R. tomentosam, dimorpham et reliquas huc referendas) nondum distinctas fuisse. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *mollis Ledeb.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque aculeolatis, caule inermi; foliolis ovalibus, duplicato-serratis, petiolisque pubescenti-mollibus. Ledebour.

Rosa mollis Ledeb. Mem. acad. scient. Petrop. V. p. 551. no. 29. Dietr. Lex. Nachtr. VII. 250.

Caulis inermis, glaber, viridis. Petioli inermes, pubescentes, leviter canaliculati. Folia inferiora 3juga, superiora 2juga, floralia ternata, lateralia brevissime, terminalia longe petiolata, foliolis ovalibus, obtusis, duplicato-serratis, glandulosis, utrinque, subtus tamen paullo magis, mollissime pubescentibus. Flos terminalis solitarius, pedunculo germine longiori insidens. Calycis laciniae pubescentes, aculeolis glandulisque pedicellatis, praesertim ad carinam obsitae, margine tomentosae, in apices foliolaceos, lineari-spathulatos, serrato-glandulosos productae. Urceolus ovatus, fuscus, et pruinosus, uti pedunculus aculeolis raris adspersus.

Haec species familias Rosae villosae, et rubiginosae cum illa R. alpinae conjungere videtur!

Hab. in Caucasi monte Kaischaur. Affines de proximis sunt secundum Marsch. Bieberst. R. dimorpha et tomentosa. (v. ejusd. Fl. taur. cauc. III. p. 341.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *scabriùscula Smith.*

R. receptaculis (urceolis) ellipticis, calycibus subsimplicibus, bracteis ellipticis, aculeis rectiusculis subaequalibus, foliolis anguste-ellipticis duplicato-serratis. Woods.

Rosa scabriuscula Smith in Sowerb. Engl. Botan. t. 1896. Winch. Bot. Guide II. Pr. p. 5. Woods in Linn. Trans. XII. no. 9. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 104.

Frutex 4 — 6 pedalis. Aculei recti, graciles, plerumque binato-stipulares. Petioli tomentosi, glandulosi, minutissimis aculeis muniti. Stipulae glanduloso-ciliatae, tandem in bracteas ellipticas acuminatas transeuntes. Folia 2 — 3 juga, foliolis ellipticis, vel oblongo-ellipticis, utrinque hirsutis, mollissimis, subtus glandulosis. Pedunculi 1 — 3, plerumque setis hispidi, vel glabri, bracteas aequantes. Urceoli modo glaberrimi, modo setis fortioribus hispidi. Calycis laciniae subpinnatae, triangulari — lanceolatae, petala vix aequantes, glandulosae, in fructu demum erectae. Flores concavi, petala alba, maculis sanguineis gemmae persistentibus. Styli inclusi stigmatibus convexis. Fructus magnus, subglobosus ruber. Woods.

Hab. in dumetis Angliae. Maxime et forte nimis affinis R. tomentosae. Secundum observationem cell. Prof. Link prope Mecklenburg in Borussia crescit Rosae species, quae R. tomentosam cum R. villosa conjungit. An forte praesens?

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *pulchèlla* Woods.

R. receptaculis (urceolis) obovatis, calycibus compositis, aculeis rectiusculis subaequalibus, petalis margine crenatis. Woods.

Rosa pulchella Woods in Linn. Trans. XII. no. 11. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 108.

Frutex vix bipedalis. Rami subflexuosi, erecti, fusci, aculeati; aculeis subfalcatis, gracilibus, subaequalibus, plerumque binato-stipularibus. Petioli tomentosi, glandulosi, et aculeis uncinatis muniti. Stipulae lineares, glanduloso-ciliatae, pagina inferiore glandulosae. Folia 2—3 juga, foliolis ellipticis, concavis, duplicato-serratis, utrinque hirsutis, subtus glandulosis. Pedunculi pauci, setis inaequalibus obsiti; bracteis longiores. Urceolus glaber. Calycis laciniae petalis breviores, glandulosae. Flores concavi, saturate rubri. Petala margine glandulose crenata. Styli et fructus nondum explorati.

Hab. in littoribus calcareis prope Ingleton in Yorkshire. Est quasi hybrida a R. tomentosa et R. rubiginosa; magis tamen R. tomentosae affinis. Valde dolendum, quod fructus nondum observati fuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *bractèscens Woods.*

R. receptaculis (urceolis) globosis, aculeis uncinatis, foliolis simpliciter serratis subtus tomentosis, bracteis fructus superantibus. Woods.

Rosa bractescens Woods in Linn. Trans. vol. XII. no. 19. et in Spr. Schrad. Link Jahrb. d. Gewächsk. I. fasc. 2. p. 131.

Frutex 6 — 7 pedalis; aculei falcato-uncinati, binato-stipulares. Petioli tomentosi, nec glandulosi, aculeati. Stipulae subintegerrimae, subtus tomentosae; floribus propiores multo majores, demum, foliis deficientibus, in bracteas magnas, ovatas, acuminatas, fructus superantes immutatae. Folia 2 — 3juga, foliolis terminalibus majoribus. Foliola elliptica, supra hirta, subtus tomentosa. Flores corymbosi; urceoli incarnati, glabri; laciniae calycis triangulari-ellipticae, pinnatae, pinnis integerrimis. Styli subinclusi. Stigmata in conum coalita villosissima. Affinis R. villosae. Cell. Seringe perperam R. arvensis varietatem cum ista confundit.

Hab. in regno Brittanico prope Ulverston, Lancashire et Ambleside, in sepibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *hibèrnica Smith.*

R. receptaculis (urceolis) globosis, aculeis uncinatis, inaequalibus, foliolis simpliciter serratis. Woods.

Rosa hibernica Smith in Sowerby's Engl. Bot. t. 2196. Woods in Trans. of the Linn. Soc. XII. no. 22. et Jahrb. d. Gew. I. fasc. 2. p. 140. Ait. h. k. ed. 2. III. 261. Lindl. Ros. no. 47.

Frutex tripedalis. Rami stricti, aculeati, aculeis uncinatis, subbinatis, stipularibus, hic illic minoribus rectioribus sparsim intermixtis. Petioli pilosi, aculeis glandulisve plerumque expertes. Stipulae angustae, subglanduloso-serratae; quae floribus propiores, etiam solitariae, multo latiores; tandem in bracteas ovatas, acuminatas transeuntes. Folia 2 — 3 juga, foliolis ellipticis simpliciter serratis, supra glabris glaucescentibus, subtus, praecipue ad nervum pilosis. Pedunculi 1—5 glabri, bracteis plerumque breviores. Urceolus subglobosus, fuscus; cal. laciniae triangulari-ellipticae, acutae, petalis breviores, pinnatae; Styli subinclusi; stigmata villosa, conica. Fructus nunc globosi, nunc fauce parum elongati (obbati) maturi nondum cogniti *). Woods.

A. R. bractescente parum diversa, adeoque cum illa R. heterophyllae maxime affinis est.

Hab. in Hibernia, detecta a Templetonio. Ab hac differre videtur R. hibernica Forsteri (vid. Woods in Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 84.) urceolis oblongis, et quam ipse Woods ceterum R. rubellae simillimam fatetur. In multis convenit cum R. majali.

*) Juxta Lindleum calyce coronati, profunde impure rubri.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *heterophylla Woods.*

R. receptaculis (urceolis) subglobosis, calycibus subcompositis, aculeis rectiusculis, subaequalibus, bracteis lanceolatis. Woods.

Rosa heterophylla Woods, in Trans. of the Linn. Soc. XII. no. 10. et Jahrb. d. Gew. I. fasc. 2. p. 107.

Frutex 7—9 pedalis; rami vagi, aculeis subfalcatis, 1—3 ad singula internodia caulis, plerumque stipularibus. Petioli tomentosi, glandulosi, rarissime aculeolati. Stipulae lineares, acutae, tomentosae, glanduloso-serratae, subtus subglandulosae. Folia 2—3 juga, foliolis modo ellipticis, modo obovatis, insigniter inaequalibus, basi rotundatis, duplicato-serratis, utrinque mollibus, glandulosis. Pedunculi 1—2, nunc glabri nunc inaequaliter hispidi, bracteis vix longiores. Urceolus subglobosus, nunc glaber nunc setosus, setis fortioribus, quam quae sunt in pedunculo. Cal. laciniae pinnatae vel subpinnatae, petalis longiores, sursum glandulosae. Flores albi, sanguineo maculati. Styli inclusi, stigmatibus convexis. Fructus globosi.

Maxime affinis R. villosae, tomentosae et scabriusculae.
Hab. in Scotia.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *Sabini Woods.*

R. ebracteata, caulibus setigeris, receptaculis globosis, calycibus compositis, foliolis duplicato-serratis. Woods.

Rosa Sabini. Woods in Linn. Trans. XII. no. 7. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 98. Lindl. Ros. no. 38.

Frutex 4 — 6, juxta Lindleyum 8 — 10 pedalis. Rami vagi fusci, aculeis sparsis inaequalibus rectis, tandem in setas immutatis. Petioli villosi, glandulosi, aculeati. Stipulae glanduloso-ciliatae, interdum in bracteas parvas, ovatas abeuntes. Folia 2 — 3juga, foliolis ellipticis, subtus venulosis, ad venas et marginem glanduloso-hirtis, superne sparse hispidis. Pedunculi 1 — 3 filiformes, setis inaequalibus obsiti. Urceolus globosus, olivaceus, setis munitus. Calycis laciniae pinnatae, pinnulis angustissimis, nec raro capillaribus, glanduloso-setosae. Flores rubentes, expansi, magni. Styli subinclusi stigmatibus villosis. Fructus globosus, coccineus, hispidus.

Hab. in Anglia et Scotia. Species valde distincta. Cell. Woods quidem l. c. dicit: Rosas, involutam, Donianam, gracilem et Sabini pertinere ad familiam R. spinosissimae, sed villositas foliolorum et petiolorum, et aculei mihi potius seriem R. villosae indigitare videntur. „Can this be after all a production of Rosa tomentosa mollis?" dicit cell. Lindley in Ros. Mon. p. 60.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *gràcilis Woods.*

R. ebracteata, caulibus setigeris, calycibus simplicibus, foliolis duplicato-serratis, utrinque hirsutis, aculeis majoribus falcatis. Woods.

Rosa gracilis. Woods in Linn. Transact. XII. no. 6. et Jahrb. d. Gewächsk. I. fasc. 2. p. 95.

Frutex 8—10 pedalis. Rami aculeati, setigerique, aculeis majoribus falcatis subbinato-stipularibus; minoribus rectis, sparsis, setiformibus et tandem mere setosis. Petioli villosi, glandulosi; aculeis parvis subfalcatis. Stipulae lineares, glanduloso-serratae, interdum, foliis deficientibus, in bracteas parvas ovatas acuminatas immutatae. Folia 3—4 juga, foliolis ellipticis, duplicato-serratis, utrinque hirsutis, margine, et nonnunquam subtus ad nervum principalem glandulosis. Pedunculi 1—3, plerumque binati, setis inaequalibus obsiti, priori erecto, posteriori graciliore, longiore, nutante. Urceolus globosus, modo glaber modo setigerus. Calycis laciniae triangulari-lanceolatae, petala aequantes, rarissime pinnula filiformi munitae. Flores concavi, pulcherrime rubri, basi alba. Styli inclusi; stigmata hemisphaerica. Fructus globosus; maturus desideratur. Cum R. Doniana et R. Sabini affinis R. involutae.

Hab. in Anglia. Necque videtur esse R. villosa Smith Engl. Bot. t. 585., quod quidem Woods l. c. et coll. Lindley in Ros. Mon. pag. 74 et seq. defendunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *involùta Smith.*

R. urceolis globosis pedunculisque hispidissimis, caulibus aculeatissimis, foliolis ellipticis, duplicato-serratis, supra glabris, corollis involuto-clausis. T.

Rosa involuta Smith fl. britt. III. p. 1398. Id. in Sowerb. Engl. Bot. t. 2068. Woods in Linn. Trans XII. no. 4. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 91. Ait. h. k. ed. 2. III. 260. Lindl. Ros. no. 35.

Frutex erectus 2 — 3 pedalis. Rami stricti, fusci, aculeis confertis, strictis, reclinatis vel horizontaliter patentibus valde inaequalibus, tandem in setas immutatis. Petioli aculeis reclinatis instructi, glandulosi, parum pilosi. Stipulae lineares, glanduloso-ciliatae, subaequales, sed interdum eae floribus propiores ceteris aliquantulum latiores et etiam in bracteas parvulas immutatae. Foliola 9; par superius et foliolum impar (consueto modo) ceteris majora, omnia elliptica, subtus ad venulas hirsuta, quandoque veluti petioli sparse glandulosa. Pedunculi solitarii, rarius binati, setis inaequalibus obsiti. Urceolus atrofuscus. Calycis laciniae triangulari-lanceolatae, integerrimae, petala plerumque aequantes, glandulosae, urceolo pallidiores. Flores cyathiformes; petala obcordata, rubescentia, basi albida. Styli inclusi, stigmatibus planiusculis. Fructus globosi, setosi. Color maturi ignotus. Woods.

Hab. in Scotia. Proxime affinis R. Donianae.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *obtusifòlia. Desv.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis, pedunculisque glabris; foliis ovatis, obtusis, supra puberulis, subtus villosis. Desveaux.

Rosa obtusifolia. Desv. Journ. bot. IV. 317. et 338. Poiret Encycl. Suppl. IV. 716. Deslongchamps Notice à ajout. p. 82.

Rosa canina var. γ. Desv. l. c. II. p. 115.

Hab. in Pictavia (Poitou) in dumetis. Floret Junio. Flores albi subgeminati. Petioli aculeati, villosi. Affinis videtur R. mollissimae et similibus.

Huic speciei cell. Loiseleur Deslongchamps sequentia verba subjungit: „Les Roses sont extrêmement difficiles à bien déterminer et à bien caractériser; beaucoup d'espèces sont très-voisines, et paroissent passer de l'une à l'autre par des nuances imperceptibles. Ce n'est donc qu'avec doute que j'en rapporte ici quelques-unes comme nouvelles; et j'engage en même temps les Botanistes à étudier ces plantes avec soin et exactidude, afin de reconnoître quels sont les caractères, qui varient le moins, et qui pourroient être employés avec plus de certitude pour déterminer les espèces."

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSA *incàna Kitaibel.*

R. Urceolis ovatis pedunculisque glabris; aculeis caulinis recurvis; petiolis subinermibus, foliolisque villoso-tomentosis.

Rosa incana Schult. Oesterr. Fl. ed. 2. II. 70. ad communicationem a Kitaibelio.

Hab. in Hungaria. ♂. Videtur esse de familia R. villosae. Plura de hac specie in votis haerent.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. foliolis septenis lanceolatis, triplicato-serratis, subtus petiolisque hirsutis, calycibus serrato-foliaceis, fructibus turbinatis pendulis. Villars.

Rosa turbinata Vill. fl. Delphin. III. 550.

Haec species similis R. pendulinae respectu fructuum, R. pyrenaicae calyce, R. caninae foliolis. Caulis 3—4 pedalis, retroflexus, tuberculosus, spinosus. Folia 2—3 juga, foliolis acuminatis, subtus glanduloso-tomentosis, maxime irregulariter et maxime argute serratis. Pedunculi solitarii 1½ pollicem longi. Urceolus oblongus, fusiformis, apice turgidus. Laciniae calycis magnae, persistentes, veluti in R. lagenaria, in foliola terminantes, serratae. Flores nondum observati.

Habitat in Galliae Delphinatu. ♂. E familia R. villosae nec R. alpinae; adhuc melius observanda, praesertim cum a quibusdam ad seriem R. alpinae translata fuerit. Dixi R. mixtam, quia jam existit R. turbinata, et quia haec species quodammodo plurium aliarum, veluti pendulinae, lagenariae et pyrenaicae characteribus composita et constituta est. T.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google